
Z KSIĄG
JÓZEFA
WEYSSENHOFFA
C
W

STANISLAI KONARSKI

E SCHOLIS PIIS

OPERA LYRICA

ANNO MDCCLXVII



EDITOR LECTORI.

POſt deperditas, imo & ab ipſo Auctore combuſtas complures, quas in juvenili ætate conſcripſerat, Odas, paucas quidem has, quas colligere potui, in lucem edendas; neque pro Viris eruditis, ſed duntaxat ad juvandam facilius Adoleſcentibus ſtudioſis earundem intelligentiam & captum, aliquibus notis eas eſſe

illustrandas, censui. Adjunxi his sermones Ejusdem duos, et carmen, quod jam fere deperierat, ad STANISLAUM *Poloniae* REGEM. *Vanum id quidem et prope temerarium esset, Auctores Latinos nostri aevi, priscis illis Latinae linguae Parentibus, facultatisque Poeticae Principibus comparare. Venusini tamen et styli elegantiam, simplicitatem, ac claritatem, et sententiarum gravitatem, si quis fortasse prae hoc nostro clarissimo Auctore, felicius propiusve assecutus sit, tuo, Lector benevole, judicio decernendum relinquo.*

Vale.

ODE

ODE I.

AD

JOANNEM Comit: WIELOPOLSKI,

Palatinum Sandomiriae.

De Simulatione hominum.

O fronte clara cni animus nitet,
Intaminata candidior nive,
Et artis ignarusque tectae
Fraudis, et inſipiens nocendi!

Nec Cerberus, nec bellua centiceps,
Nec tam Meduſae Te caput igneae,

Terrent, et intortos capillis
Eumenidum patieris angues;

Vultus doloſi Te feriet magis
Aſpectus: ut qui dulce fluentibus
Verbis, et improviſa laeto
Callidus ore tegit venena.

Aperta vis, et fronte palam truci
Intectus hoſtis me petat, aut fugâ
Subducar, aut non nuda telis
Objiciam latera, atque pectus:

Sed quem fidelem, quem ſimilem Tui
Putes amicum, qui caveas? Vafer
Vel inter amplexus, jocosque,
Exitium dabit innocenti.

Jam non inepte, noctis adultera
Somnique proles, [1] exagitat Deos,
Quod ad cor infeſti negârint
Exiguam male Dî feneſtram.

Spleni

1. Momus ſomno Patre, Matre nocte genitus.

Spleni [a] timerem forſan ego Tuo
Inter cachinnos, quos Tibi Regia
Cieret iſthaec noſtra, riſu
Democriti ſapientiores :

Nam tum videres praelia diſſonae
A mente linguae. Scilicet infimis,
Summisque certatur, prior qui
Decipiet, meliusque fallet.

Ut pejeratur! perfida credulae
Illudit ut pars! brachia brachiis
Miſcentur, oſculisque * fervent
Ora, genaeque genis cohaerent.

 Et

a. Ne ſplen prae riſu rumpatur.

* In verſu 3 Odae Horatianae: Horatius tertio verſûs pede utitur fere ſemper Spondaeo. Sarbievio ſufficit unum Horatii, alterumve exemplum, Ode 3. Lib II. *Sors exitura nos in aeternum*, et Ode 19. Lib. II. *Disjecta non levi ruina*, ubi tertius pes eſt jambus, ut multis locis eodem tertio pede Jambo uſus fuerit; praeſertim cum ita voces non poſitae, ut nihil cantum, ſonumque carminis vitient. Hoc ſit reſponſi loco cuidam diligenti nimium Critico.

Et labra labris, & manui manus
Inſerta, quorum mens odiis flagrat
Vatinianis, et proterva
Ira modum, ſeniumque neſcit:

Quorum (vetuſtae ſi qua fides rei) [3]
Cremes eodem corpora ſi rogo,
Se dividet cinis, malignae et
Diſſilient ab utrinque flammae.

O more Patrum priſca fides! pudor,
Sanctumque verum, non violabiles
Nexus amicorum, o beata
Simplicitas, animi nivesque!

Iuſte peroſae nos hominum genus,
Si jam redîſtis præcipiti fuga
Ad aſtra? jam linquamus et nos
Fana, laresque lupis, et apris.

At fas [4] Zagoſtj ſit mihi vivere
Tecum [Sorores ſtamina ni ſecent]

Qui

3. Eteoclis et Polynicis fratrum infeſti cineres in rogo ſe ſe ſeparârunt et flammae.
4. Pagus amoenus in Provincia Cracovienſi.

Qui charus es charis amicis:
E veteri Tibi duxit auro

Natura mores, ſparſit amabile
Et toto honeſtum pectore. Tu mihi
Credêris injuratus ultro,
[5] Pace Diis Laribus relicta.

ODE II.

Vaticinium e Juventutis educatione de futura Republica.

Diſcitur mox è pueris Virorum
Indoles: primis meliusque ſe ſe
Omne virtutis, vitiique ſemen
Prodit ab annis.

Scire vis, denis, quis abhinc futurus
Sit [1] ſtatus [2] luſtris? bona Civitatem

5. Non evocando juramentis Deos lares, per quos veteres jurabant.
1. Status Reipublicae ſeu Civitatis.
2. Dimidio abhinc ſaeculo, ſeu 50 annis. Luſtrum quinque annos tenet.

Fors[3] manet? vel fors mala? ſume molli
Omen ab vngui.

Caſtra Praefectis, Patribus Senatus,
Curiae[4] Confis, pia templa Myſtis
Quam bonis ſtabunt? ſtudiis ſagax in-[5]
cumbe Iuventae.

Inde manſuri cape fata Regni.
Qualibus pubem ſibi format ipſa
Moribus, tales habitura Res eſt
Publica Cives.



ODE

3 Fors, fortuna, idem quod fors.

4. Deus conſiliorum.

5. Incumbe ſtudiis, id eſt, conſidera quibus rebus ſe ſe occupat Iuventus.

O D E III.

Ad

Clarissimos Juvenes Collegii Nobilium Varsaviensis.

Candidi caetus hominum recentum,
Nuperi Cives, animaeque magno
Additae mundo, faculæ Promethéì ,
Vìvida flamma: [1]

Quod suum Vobis [2] olor ante lethum
Ultimo plectri tenuique nisu
Occinit, sciri, repetique dignum
Discite carmen.

Adsit huc pubes nisi digna Phaebo:
At sacris exeste procul [3] profani.
Prima

1. Promethei ignem Caelo allatum homines animasse, Pòétae canunt.

2. Senex Pòéta, cauus ut olor. Olores morituros canere, quidam scribunt.

3. Iuvenes profani seu impii à sacro cantu procul este.

Prima res: Divûm [4] metus esto! prima
Lex Sapientis.

Ni Iovis cautus vereâre tela,
Nulla vis legum satis est. Honos quid? [5]
Ipsa quid virtus? quid inane vani
Nomen honesti?

Quod [6] bonis aeque, quis enim malisque
Abnuat? dum sit scelus arte [7] tectum?
Ora nec, felix sine teste crimen,
Pervolet urbis.

Criminis vitam juvat innocentem
Fasque sectari, memores, [8] paratae
Quae piis sedes, quis in impiorum
Pectora vultur

Sae-

4. Dei timor, prima lex hominis sapientis.
5. Honor, virtus, honestum, sine Religione nihil sunt.
6. Quod *hon-sti* viri nomen, bonis aeque ac malis denegari non potest. Honestas enim est *honoris status*.
7. Honesti sunt homines, quamvis occulte peccent.
8. At qui sunt memores alterius à morte vitae, et vulturis aeternum pectora rodentis, illi vitam innocentem ducunt.

Saevit arguto ſine fine roſtro.
Nil erit, nil eſt ita forte, nil plus
Inque mortales valet, ut futuri
Speſve, timorve.

Iuverit poſt haec meminiſſe, [9] tantum
Patriâ felici,' Patriâ beatâ
Nempe felices licet eſſe Cives,
Eſſe beatos.

Laeta libertas ubi? quæ ſalutis,
Patriâ, ſpes eſt, pereunte? Durum [10]
Servitus nomen! nec habent verendum
A Iove quidquam

Pejus, irato, populi protervi.
Namque qui leges violent [11] eorum
Impiis Brontes, Steropeſque cudunt
Vincula collis.

Servi-

9. Secunda à Religione res, cujus Iuvenes memores eſſe oportet, eorum felicitatem, è Patriae felicitate pendere. Ubi enim erit libertas, ubi ſalus noſtra, ſi Patria perit?

10. Servitute nihil durius, nec populi pejus à Iove puniri poſſunt, quam ſervitute,

11. Brontes & Steropes fabri Vulcani, ſervilia vincula cudunt in violatores legum.

Servitutem non metuis? quid ergo
Liberum nafci? [pudor et nefas!] quid
Ufque nutriri vetitâ [12] Tyrannis
Profuit aurâ?

Liberis eheu male nata proles
Civibus! Sors o lachrymanda Patrum!
Cara libertas, quibus empta tanto eft
Sanguinis alvéò.

Si tamen veftris fluit ille venis,
Efte virtutis memores Paternae,
Rebus et jam nunc Patriis, fpeique
Vivite magnae.

Vos labor, vos Sparthae imitata [13] leges
Vita, dejectumque [14] decet vibrato
Miffili cruftum, procul et petita
Poma fagittis.

His

12. Quid nafci, quid educari profuit in libera gente?
13. Duriffimae erant Sparthae leges educandae Iuveututi praefcriptae, labor, fames, flagra, &c.
14. In Balearibus Infulis, Matres efurientibus filiis crufta panis et fimilia jentacula in fublimi trabe ponebant, quae funda jaculove dejicerent.

His egent artus ſtudiis, in omnes
Martios uſus. [15] Potior neceſſe
Sit tamen Vobis animique major
Cura colendi.

Mira naturae [16] variumque pondus,
Atque menſuram, numerosque rerum,
Hoſpitem mundi attonitum, novumque
Noſſe juvabit.

Proderunt olim cupida retenta
Mente, per libros meditata [17] doctos;
Pace dum bellove, Senator, & Dux
Grandia promes,

Caeteras at res ſuperet cupido [18]
Tota diſcendi, bonus arte Civis. quâ
Audias quondam. Huic ſtudio Tibi do
Luſtra quaterna. [19]

Is

15. Exercenda ſunt quidem corpora ad belli uſus, ſed major cura animi excolendi eſſe debet.
16. Phyſicen, et Mathematicen callere, plurimum juvat Iuvenes, novos mundi hoſpites.
17. Lectio librorum juvat, cum lecta, et meditata in conſiliis pacis et belli promentur.
18. At imprimis cupere Iuvenes oportet, ut diſcant artem, qua boni Cives eſſe poſſint.
19. Impendant huic ſtudio annos 20.

Is ſapit, prudens, is amatur et Dîs,
Qui coma leni,[20] teneràque tangi,
Anteit canos bene cogitatis
Rebus, & auſis.

Ille mox aptus docilisque, pectus
Molle virtuti ſine lite praebet,
Et regi ſemper facilis, ſenili
Se ſinit arte.

Dura, nec fraeni patiens Iuventa,
Immemor, temnensque probe monentûm,
Objicit quam ſe male ſana certis
Mille periclis!

Nonne percuſſum pelagus ruentis[21]
Icari lapſu? puerique ſaevus
Vos monet caſus, temerè Paterna
Lora tenentis?

Iam

20. Qui à teneris ita cogitat, ita agit, ut canus.

21. Notae fabulae Icari, et Phaëthontis è nubibus deciduorum ob neglecta Parentum conſilia.

Iam quod extremum moneam: decori
Anxius, pulchrae juvenisquae famae,
Colchicis [22] herbis fugit, & magis mendacia pefte.

Plus venenofi neque fcorpionis
Horret afpectu, nec abominandi
Strigilis pluma, neque turpis atro
Sanguine ranae.

Infcius fraudis, niveusque, centum
Laudibus praefert, titulisque centum,
Dicier verus, fideique cultor
Inviolatae.

Certa, quam folers imitetur, illi
Norma, mentitus Phocion in omni
Nec femel vita. Tamen ille magnas
Rexit Athenas.

Impu-

22. In Colchide Regione Afiae venenofiffimae herbae nafcuntur.

Impudens Lethe pereat lutoſa
Tuſcus [23] exoſus, malus et magiſter
Principum, pravâ ſimulatione,
Hoſteque veri,

Regias ut qui vitiavit Aulas;
Qui vafros ac artifices latentis
Callidos falſi, jubet eſſe, Regum,
Vappa [24] Miniſtros.

Vos [25] Ariſtides ego, Vos [26] Agrippas
Curiae ſanctae precor, atque caſtris;
Vosque fortes, innocuos, pios, juſtique tenaces

Opto. Poſcendum tacitis ad Aras
Rite fumantes precibus ſalubre
Corpus, vt mens & bona ſit: benignis [27]
Caetera Parcis.

ODE

23. Machiavellus origine Tuſcus.
24. Homo nihili, in quo nihil verae virtutis: qualis Machiavellus.
25. Summus & juſtiſſimus Civium Athenienſium.
26. Agrippa Auguſti Octavij ſapiens optimusque Miniſter.
27. Ut Parcae benignae, quam diutius fieri poteſt, vitae ſtamen conſervent.

ODE IV.

AD

ADAMUM STANISLAUM GRABOWSKI,

Principem Epiſcopum Varmienſem.

Mala belli Pruſſici, eſſe irae Coeleſtis effectus.

O! qui labores tutus inutiles,
Aeſtusque ponti è littore contuens,
Caſus, volubilisque tecum
Ipſe vices meditare fati:

Qui nunc Britanno, nunc domino maris [1]
Parere Gallo [2] caerula conſpicis:
Libensque binarum recenſes
Parta [3] Semiramidum trophaea.

B Non

1. Nunc maris victorem Gallum, nunc Britannum conſpicis.
2. Caerula Thétis, idem quod maria, quae caerulo ſunt coloris,
3. Binae Semiramides, duae Imperatrices Romana et Ruſſiae. Semiramis Aſſyriorum Regina foeminarum celeberrima.

Non ſectus [4] aequè, quos tremit, et colit
Orbis, thronos tres, Regnaque maxima
Metire, ſabuloque [5] campos
Et patriis ſteriles arenis.

Emerſit illis, & caput extulit,
Unita quem vis foedere triplici
Non terret; Alcides [6] protervus
Geryonem nihil ut minacem

Expavit, etſi mole tricorporem.
Qui ſolus, inſtar centimani [7] Gigis,
Se dividit partes in omnes
Undique [8] lynx, et acutus Argus:

Nunc

4. Quos orbis non aequaliter inter Principes ſectus, ac diviſus colit Thronos tres, et Regna maxima metiaris ex una parte notum eſt: tria magna Imperia arma junxiſſe contra Regem Boruſſiae: Auſtriacum, Gallicum, & Ruſſicum.
5. Alia ex parte metiaris Marchiam Brandeburgicam totam ſabuloſam, quae Veteribus Scriptoribus vocatur arenaria S. R. Imperii. *Sablonière du St. Empire.*
6. Hercules ita dictus ab Avo Alcaeo, Geryonem Regem Hiſpaniae, quem fabulae tricórporem memorant, aggreſſus.
7. Gigas Briareus centum manuum.
8. Lynx viſu animalium acutiſſimus.

Nunc enſe prudens aggreditur pari,
Caůto retrorſum nunc reſilit pede:
Et perdit, et refert omiſſas
Ancipiti ſibi Marte palmas.

Quot faederatis, quamque potentibus
Pugnatur armis? illum aries [9] ſtupet
Iam quintus, ut bello recentem,
Cingi Equitum, Peditumque nimbo.

Quorumve Regum? quotve ſuperbiae [10]
Inſultat? ipſa caede ferocior:
Unus, novo ſceptro, [11] manuque
Imperiis tribus hoſtis impar!

Quin ille dena clade animoſior,
Majore ſemper caſtra quatit metu,
Victusque, Victori timetur:
Ut metuenda, cruore viſo,

9. Ver quintum, cujus ſignum aries.
10. Superbiae, potentiae, Virgil: *Late Regem belloque ſuperbum*, id eſt potentem. Horatius: *Quaeſitam meritis ſume ſuperbiam*, id eſt, famam & gloriam.
11. Regum Europae Rex Boruſſiae penultimus.

Pyrrhi Pelidae [12] terribilis bidens;
Aut qualis [13] ictus cuſpide, plus adhuc
Ferocit, ac immane rugit
Rex nemorùm, nemorisque terror;

Et [ni ruentis ſiſteret impetum
Cunctator [14] unus non ſuperabilis]
Daturus horrendas per arva
Proxima, perque remota, caedes.

Ter [15] quì et miniſtram fulminis alitem
Expertus , unguesque implacidos, nova,
Nec ante vulgatas per artes
Bella, novos meditatur ictus.

Aut ille tandem vincet, & ultimus [16]
Ridebit, [ut quae ſera dies vehit,
Latent

12. Pyrrhus, Rex Epiri, ex Peleo & Jove genus ducens, contra Romanos armavit Elephantes. Elephas eſt duorum dentium, viſo colore rubro, vel ſanguine exaſperatur.
13 Leo.
14. Daunius invictus Imperator Auſtriacus.
15. Tribus inſignibus victoriis Ruſſorum fractus. Imperii Ruſſici, inſigne Aquila biceps.
16. Proverbium Gallicum; *Celui rira bien, qui rira le dernier.*

Latent in incertis] àút ſi
Dis placet [et moritura vates [17]

Caſſandra, ſi quod praecinuit malum
Omen Boruſſis] occidet, occidet:
Sed ſtrage, quà texit, tegetque
Innumeros prius ille campos?

O mallet enſes jungere [18] Noricos,
Et Roxolanos [19] ille] ſuis, truces
In Thracas, attritisque lunae
Cornibus [20] Odriſiàé, [21] Eois

Regnis, et [22] Urbi, demere compedes;
Quam Chriſtianâ pube, mapalia,
Patresque grandaevos, & olim
Iam [23] ſteriles ſpoliare Matres!

 Non

17. Caſſandra Priami filia, Vates Trojana, quo nomine hic apellatur Mater Regis Boruſſiae, quae ante obitum. vulgo narratur male ominata fuiſſe de exitu belli praeſentis; Omen tamen vel nullum, vel falſum fuiſſe, belli eventus oſtendit.
18. Auſtriacos.
19. Ruſſos.
20. Odriſiae, Thraciae, Turciae, idem eſt.
21. Eos, Aurora.
22. Byzantio, novae Romae. ſeu Conſtantinopoli.
23. Effaetas. ſenes, et jam pridem pariendo non idoneas.

Non ergo coeli vindicis eſſe rem
Putes? aut noſtri in generis necem
Non ſaeva connivere fata?
Quot jugulis eget expiari,

Quo victimarum ſanguine prolui
Impurus orbis? Credo, [24] Dieſpiter
Offenſus iratusque, dum igni
Nubila divideret coruſco,

Certos aquarum rumperet alveos,
Montes abyſſis, et pelagus ſolo
Miſceret, illinc inquinatos
[25] Turpe thoros, ſimul inde ſpretas

Ulturus aras, et Themidis [26] fugam,
Hanc ille belli perpetui facem
Incendit, in caput Nepotum
Prorſus avis ſceleratiorum:

Quibus

24. Dieſpiter, Iupiter diei, vel Deorum Pater cum fulmina jaceret.
25. Irreligionem, luxuriam, & injuſtitiam ulturus Jupiter.
26. Nota Themidis, ſeu Aſtraeae è terris in Caelos fuga

Quibus nefaſtos Relligio jocos,
Et thura riſus [27] Sardonios movent:
Qui templa vel temnunt ſupremi
Caelicolûmque, hominumque Regis:

Vel ſi frequentent, viſere [28] fornices,
Cellasve lenarum, oppidò crederes:
Qui nôſſe ſe teſtantur, [29] inter
Nectaris, ambroſiaeque ripas

Divos beato diffluere otio,
Incurios noſtri: à quibus audias:
[30] *Si ſit Deus quisquam? reliquit
Res hominum, regit omne caſus;*

*Semenque brutis, ac animis idem eſt,
Et finis idem.* Sic vetitum bonis,

 Spe-

27. Sardonius, ſeu ſtolidus absque cauſa riſus, à Populis Sardoniis.
28. Fornices, loci impuri, à quibus fornicariae dictae, lenae, mulieres ibidem praeſides. Adverbium *oppidò* idem quod multum, vel penitus ſignificat.
29. Philoſophi Epicurei, qui teſtantur, Superis nullam curam eſſe rerum mortalium.
30. Sermones impiorum de Deo.

Sperare; sic impune pravis
Omne nefas licuit, licetque.

Astraea terris justa nocentibus
Exesse, jus et flagitio datum.
Risitque Praetoris [31] secures
Culpa ferox. Scelus omne tutum est.

Metum Deorum, tecta [32] lanugine
Exemit aetas, jam bene crimini
Matura, nec rudis struendi
Innocuae [33] pedicas puellae.

Iam nuptiis nil prorsus inest sacri.
Iurata flocci Numina. Nec faces
Horret vel incestas adulter,
[34] Hercyniae cui more Sylvae

Fas est solutis vivere legibus.
Caelestis haec non ira [35] piaverit?
Hoc

31. Praetoris, seu cujusvis Judicis.
32. Lanugo: pili primum succrescentes, mollesque in barba Juvenum.
33. Pedicae, quibus pedes capiuntur; pedicas struere, est insidiari.
34. Hercynia Bohemica sylva pro quavis alia; more sylvae, more belluarum.
5. Piare, expiare, eluere, idem est.

Hoc fonte [36] profluxêre clades:
Inde gravis mala longa belli.

At nos profano, tela Deûm, fera
Temnemus aufu progenies? Iovi
Infefta jam dudum propago?
Dura trucis foboles [37] Typhaei?

Denfis Olympus fulminibus ruat!
Pudor fateri nos vetat impius,
Ictus ab ultrici Tonantis
Ire manu, pluviasque flammas.

Fas fint fceleftis talia. Numini
Nos ritè fancto [38] farre litabimus;
Iraeque, quae procudit enfes,
Ter placido faciemus [39] Agno.

ODE

36. Ethnicus quoque Pôeta idem faffus eft: *Faecunda culpae faecula, nuptias primum inquinavere, & genus, & domos: hoc fonte derivata clades in Patriam, populumque fluxit.*
37. Fera progenies Typhaei, qui primus Gigantum, bella Jovi movit.
38. Pane Euchariftico.
39. Vitulâ, haedo, agno, facere, eft idem quod facrificare.

ODE V.

AD

VENCESLAUM RZEWUSKI,

Palatinum Cracovienſem, Campeſtrem Exercitus Ducem.

De infracto Regis Auguſti III. rebus adverſis animo.

Principis Cari [decet hocce nomen
Optimos Regum, Patriaeque Patres]
Principis Cari, mala, qui miſertus,
Ut tua ſentis. *

Cui ſalus Regis, cui vita Regis,
Eſt ſalus Regni, populique vita.
Si quid, Auguſto, metuis ſiniſtri
Forte? videsne?

Qualis [1] Ægei decus, alta rupes,
Objicit ſaevo latus omne Ponto?
Et minas Euri, procul et furentes
Deſpicit undas?

Flu-

* Civis & Senator quo nullus aut moribus ſanctior, aut fide in Reges, meritis de Patria magis conſpicuus, aut ingenio & doctrina celebrior, multa excellenter carmine latino & patrio ſcripſit de Regis afflicti fortuna.

1. Alta quaecunque rupes in mari Ægeo, prorſus immota.

Fluctibus tunſae quatiuntur, illâ
Prorſus immotâ, pereuntque naves,
Glutiunt rictu patulo piloſae
Corpora [2] Phocae.

Æolus clauſtris volitans apertis,
Miſceat terris pelagus! quieta
Proſpicit, motis titubare ripis
Funditus urbes.

Mugiant nubes, gravis ira Caeli
Fervidos ignes jaculetur! illâ [3]
Creber, illaesâ, reſilit caduci
Fulminis ictus.

Robur invictae ſolidaeque mentis
Tale Dîs debet, quoties iniquae
Sortis, Auguſtus, petitur malignis
Undique telis.

Denſus

2. Phocae belluae marinae voraces, pelle piloſa inſtar canum tectae.
3. Ab illa rupe illaeſa creber fulminis caduci ictus reſilit.

Denſus abſumptam populante flamma
Obruit Dreſdam cinis, urbiumque
Gemma pulchrarum cadit! [O nefeſtas
Militis iras!]

Ille deletae Patriae ſuperſtes
Horridi ſpectat mala longa belli,
Major Anchiſe, Priamoque flente
Rudera Trojae.

Pectus haud illi tamen aere fuſum,
Regiae cladem, populi, Domûsque
Sentit, ut fas eſt, tener ut Maritus,
Ut Pater, & Rex.

Patrii damnum grave Principatûs,
Triſte, captivae, ſimul urbe capta,
Conjugis funus, ſobolisque ſanctae[4]
Pignus ademptum.

Ille

4. Non longe poſt mortem Reginae Mariae Joſephae Auſtriacae, Amelia Regina Hiſpaniae, Regis Filia obiit.

Ille ſed, volvi bene cuncta, Divûm
Lege coeleſti meditatus, omnem
Fronte tranquilla placidaque, fati
Excipit urnam.

Ordinis gnarus, ſapientiaeque,
Conditum nutu moderantis Orbem,
Se ſinit duci, facilemque juſſis
Omnibus aptat.

Ille non rebus tumidus ſecundis,
Non & adverſis minor eſt. Utrâque
Prorſus ⁵ Huſſaei Ducis inſtar, aeque
Sorte beatus.

Ille quem nullis pavidum ruinis,
Quem ſui ſemper ſimilem, videbit,
Si ruat certis, propriisque motus
Sedibus Orbis.

Regis exemplo ſapienter & nos
Juverit, quosvis ita ferre caſus,
Et frui longa, Pyliosque in annos
Soſpite vita.

5. Job. Vir de terra Hus.

Alea immutabilis eſt Deorum,
Jacta quae de me fuit. Inque Caelo
Fixa de nobis ſemel, addo, nunquam ⁶
Interituris.

Saepe mortales inopina terrent;
Inſcios ſeri penitus futuri;
Sed Deus, quae principio carente
Sanxit ab aevo,

Quae ſub aeterna latuêre nube,
Tempus evolvit veniens, diesque.
Quidque Dî pridem ſtatuêre, praeſens
Detegit hora.

Sed tamen ſi nunc male, non deinceps
Sic erit ſemper male. Luci opacum
Cedit. Inſtat ver hyemi. Coruſco
Mite ſerenum.

ODE

6, Quae in Caelo ſemel ſtata ſunt de nobis, ea ego addo rebus, quae nunquam interire, ſeu quae nunquam nos praeterire poſſunt.

ODE VI.

AD

VATELUM,

Doctissimum de Jure Gentium Scriptorem,

Saxoniae desolatae calamitates.

Regibus, Musisque, Vatele grate:
Solius pennâ metuente falsi,
Saxonum, contra Ducis arma summi,
Jura tueris. [1]

Audii primas docuisse leges
Nube devectam populos Minervam.
Te, tuos Cives, hominumque latè
Te genus omne,

Quod licet, quod non licet, edocente,
Ipsamet per Te erudiisse gentes,
Et tuo, natura videtur ipsa,
Ore locuta.

Vi

1. Bello durante cum Rege Prusso, Vatelus pleraque pro Saxonia scripsit.

Vi ſed injuſtae, modo fas & aequum,
Pacis & belli ſacra jura, quid ſunt ?
Dat ſuo terris documenta, triſti
Miſnia fato.

O Vitikindi populoſa Regna! [2]
Imperî ſedes, meliorque pars, et
Roma, quam dudum peperiſſe magnos
Senſit Othones.[3]

O et à ſaxis male nuncupata
Fertilis tellus! cui nec Tarentum [4]
Uberem glebam, neque diſputet Cam-
pania felix.

Artium mater: quid enim repertum,
Callidis [5] Gallis, Italis, Britanno?
Impigrum quod fors latuit? quod acrem
Saxona fugit ?

Fons

2. Vitikindus, celeberrimus Dux Saxoniae, Carolo Magno Imperatore.
3. Tres hujus nominis e Domo Saxonica Imperatores.
4. Urbs magnae Graeciae in Calabria Regione fertiliſſima.
5. Scientibus, peritis, ſagacibus.

Fons opum, multis, medio ſub axe,
Ditibus terris, populisque fruſtra
Invidendarum: careas licetſi
Gange, Tagoque.

Sed quid haec Muſae memoratis atrae?
Hoc fuit nuper, fuit hoc beatum
Illium, [6] nunc eſt rogus, ac arena
Andabatarum. [7]

Barbaris quid nos melius? ferinis
Quidve Centauris, [8] Lapithisque? Plures
Edidit ſtrages ubi? plus an uſquam
Saeviit hoſtis?

Oppidis dudum, vacuisque pagis
Parte centena, cupidus, vel ipſum
Martiae pubisque laborioſae
Tollere ſemen.

C San-

6. Arx Trojae Regia.
7. Gladiatores, ſeu populi, qui clauſis oculis digladiabantur.
8. Centauri, medii homines, medii equi. Lapithae, populi Theſſaliae bellis continuis, caedibusque clari.

Sanguinis, jam bis duodena caedes,
Miscuit tantum vel humo vel undis,
Sera vix diras reparare clades
Possit ut aetas.

At nec unius sat erit quieti
Otium saecli, sinuosus Albis [9]
Pristino flori bene restitutas
Spectet ut urbes.

Omnibus tetrae cecinere Parcae
Terminum Regnis. Sua jam peracta
Fata sunt istis, eadem relictis
Imminet urna.

Omnibus sors haec metuenda. Nam quis
Eximat duris vicibus vel unam
Gentium, vultus variante Luna
Inferiorum? [10]

Hae

9. Fluvius Saxoniae, infra Hamburgum in Oceanum influit.
10. Gentium, quae sunt infra Lunam, vultus continuo variantem.

Hae cadunt, his mox aliae reſurgunt
Fortiores alterius ruinis:
Quae novis cedent: neque parcet iſtis
Serius aevum.

Fallor? an quisquam melior Deorum,
Augurî Vatem monuit ſiniſtri?
Spes bonas laevo [11] tonuitque Caelo
Laetius omen?

Mercium ſedes, & amica Muſis,
Tempus ut ſaevi fuit ante belli,
Copiae, ſic poſt erit, audietque
Lipſia cornu.

11. Auſpicia fauſtiora erant è laevo, quam è dextro latere Caeli: Laetius omen tonuit, ſeu intonuit nobis ſpes bonas.

O D E VII.

In illud Poëtae

Si vis nubere, nube pari.

Cum

ADAMUS, Dux in Klewan & Zukow, Princeps CZARTORYSKI, Generalis Terrarum Podoliae Praefectus, ELISABETHAM Comit. de FLEMING, Supremi Mag. Ducatûs Lithv. Thesaurarii Filiam, sibi connubio felici jungeret. 1761. d. 19. Nov.

Et pares secum sociare dextras,
Et pares inter similesque, sacris
Nuptiis, gaudent hilares adesse
Dìque Deaeque.

Sorte quid faustâ, meliusque lectum
Par ut est istud? quod utrinque jures
Invicem natum sibi, grande seri
In decus aevi.

E Jagellonum ſerie vetuſta,
Si Ducem clarum traho? par origo
Ex Avo Nuptae: propiusque ſe fons
Dividit idem. [1]

Parte jam quantum thorus ex utraque
Splendeat? quali radietque luce
E Sieniavitis, Lubomiriisque,
Valſteniisque?

Balthici quondam Domini potentes
Littoris, quanto, veteres Flemingi, [2]
Nomen illuſtrent, thalamosque Sponſae
Lumine? ſpecto.

Quaeve fortunae coeunt in unam,
Cerno privatos ſuperare cenſus:
Ipſe ſed novit Plutus, haec, an ille,
Ditior Haeres?

1. Duces Czartoryscii Magnus Cancellarius Lithuaniae, & Palatinus Ruſſiae Fratres germani, hujus Filius Princeps Adamus, illius ex filia Neptis Eliſabetha Flemingia.
2. Flemingorum Comitum familia potens & illuſtris in Pomerania.

Hic opes, aetas, genus, & venuſtas,
Mutuo certant, pariliſque virtus,
Dona naturae, ſimul & magiſtrae
Palladis artes.

Diva nec Latona, [2] Parens, jugandae
Anxiam quae das operam juventae,
Lectius quidquam numeres, perenni
Faedere junctum.

Candidum ſpectes animum, probosque
Si Ducis mores? Sapientiamque
Praecocem, Gallis, Italisque miram, et
Uſque Britannis,

Si canant [ut nihil ceciniſſe Muſae
Verius poſſunt] Patriae decus, Dux,
Spes, amor Gentis, populi voluptas
Deliciumque?

Spiritu ſi raptus Apollinari,
Praeſcius ſeri penitus futuri, è
Rupe Parnaſſi, hoc ſine fraude, Vates
Praecinat omen:

Caſtra

2. Latona Dea apud Veteres connubiorum.

Caſtra majori Duce, nec Senatus
Patre clareſçet ſapientiore,
Nec Themis Conſo, meliore nec Res-
publica Cive:

Approbant carmen, ſed idem ſonoro
Replicant plectro Aoniae Camoenae,
Ac Viro dignae, ſuper aſtra tollunt
Numen Eliſae.

Gratiis nil jam ſupereſſe ternis,
Nilque Pandorae ſupereſſe jactant,
Quo novo poſſint decorare celſam
Munere Nuptam.

Quippe Junonis, Veneris, Minervae
Eſſe decantant opus abſolutum.
Prorſus o tali niſi, talis Uxor,
Digna Marito!

Deligunt Dî, quos cupiunt jubentque
Eſſe felices. Male caecus unit,
Quae Puer connubia, ſempiternus
Jupiter odit.

Difpares temnit: paribusque, prifco,
Stamen ex auro [nituêre quali
Saecla Saturni] jubet arte cautas
Ducere Parcas.

Nos Patri, purum, niveoque tectum
Farre, biffena vice, pluriesque,
Nefcium mortis, feriemus Agnum,[4] et
Semper eundem;

Fertili frugum, pecorumque terrâ,
Meffibus Vos et beet ut trecentis,
Sofpites, falvos: * fimilique faxit
Prole beatos.

ODE

4. Chriftum fub fpeciebus Euchariftícis.

* Hoc idem faustè precatus eft Benedictus XIV. Adamo Principi fibi plurimum dilecto: Redi care Princeps in Patriam tuam felix: nube aufpicatò, & Te, Tuosque, fimili Tui prole, fortunatos redde.

ODE VIII.

AD
JOSEPHUM de Prussis Principem
JABŁONOWSKI,
Palatinum Novogrodensem, Equitem
S. Spiritus.
Sermone cum Eo habito,
De Patriae Libertatis incuriis, et proditoribus.

SI Te sollicitum tuae
De fatis Patriae, saepe quatit metus,
Si rebus, prout assoles,
Prudens, Imperii Sarmatici, times,
Heroum Soboles, Avis,
Princeps ac Atavis edite fortibus;
Segni Pieridum choro [1]
Linquamus tenerae ludicra tibiae,
Et

1. Linquamus, ut otiosae Musae cantent ludicra & dulcia, nos res ipsa monet, barbyton, seu lyram tristem sumere. & plectrum flebile, quod vel durissimum, ut aes triplex, pectus in planctus solvat, si verum est, quod cantu lyrae Orpheus scopulos mollíverit, & Eurydicen ab inferis revocaverit.

Et dulcem ſtrepitum lyrae.
Nos res ipſa monet, barbyton aſperam,
Et triſtem gravibus modis,
Ac plectrum potius ſumere flebile,
Quod vel pectoris aes triplex
Solvat, ſi ſcopulos molliit Orpheus,
Si praedam tulit inferis.
Aures carminibus pandite, vos queis
Libertas nihili Patrum :
Tanto quae Proavis ſanguine conſtitit.
O Cives male Liberi!
Donum, binae [a] opibus ditius Indiae
Quo majore carent Dii,
Donum, quo melius nullum homini da-
Ultro perdere? quis furor? [tum eſt,
Quidquid reptat humi, vel ſecat aera,
Aut ludit tepido mari,
Devitat pedicas, rete fugit, capi,
Ac eſſe alterius, timet.
Auceps viminibus texat ut aureis,
Et gem-

a. Orientalis in Aſia, Occidentalis in America.

Et gemmis caveam, vafer,
Mellitas Arabum figat arundines, [3]
Si quid ſuavius & thymo:
Auro quippe nitens undique, liberam
Intus, carcer, avem trahet?
An ſtructam Pario [4] marmore Regiam,
Quoquò vult volucris vaga
Campis aëreis, & nemori ſuo, et
Vaſto praeferet aetheri?
Includine ſinet, ſe crate ferrea
Ultro, magnanimus Leo?
Seſſoremne ſuum ſponte feret, libens
An fraenos equus induet?
Non inviſa cui ſit ſua ſervitus?
Taedet vos niſi, liberos
Natos eſſe? piget vos niſi originis
Nolentis dominum pati?
Vos? Vos Sauromatae? olim genus in-
[ſcium
Et Ro-

3. Ex quibus in Arabia Felici dulcis ſuccus exprimitur.
4. Ex Paro Inſula Archipelagi.

Et Romae & Capitolii ? [5]
Clari posteritas inclyta vos Lechi?]
Nam quid ? [proh pudor & nefas!]
Sanguis Patricius non facis immemor
Quo non exitium Tibi?
Quo non vincla pares ? Serius, ocyus,
Damno non reparabili,
Pulchro jure Patrum degener excides:
Servilisque probrum notae,
Venalis, timida fronte, geres nepos,
Temnat quem generosior, [6]
Cui quaesita neget Phyllis et oscula,
Dedignata Virum, cui
His contumeliam vocibus exprobret:

Quid

5. Qui nescitis Romam & Capitolium. Nam Sauromatas nunquam Romana potentia vicit.

6. Quem Phyllis, seu cara Uxor, nata libera, dedignata ut Virum servilem contemnat, cui oscula neget, & illi his vocibus contumeliam exprobret: O! Vir quid Te vecordius, quid miserabilius, qui cum sis natus liber, fecisti te mancipium, ut parias ex Te servos, sisque Caput & Parens nasciturorum mancipiorum, quae tradant August Neronibus, id est boni Principes Tyrannis. Boni enim Principes, uti Cyri, Titi, Aurelii rarissimi sunt.

Quid vecordius ? ipſemet
Ortus liber, Avis ac Atavis Tuis,
Servos, quos paries, dein
Addes ? mancipiis tu caput & parens?
Tradant quae Domini truces
Poſt ſe ſe Dominis aſperioribus ?
Auguſtique Neronibus,
Cyri namque, Titi, aut Aurelii, quoti ?
Heu! quò praecipitem trahunt,
Imprudens quereris, fata Polone te?
Quid fruſtra immeritos, levis
Inſectare Deos ? dic peto ſanius
Quo me ducit in horridam
Libertas temerè verſa licentiam!
Legum nomen inutile. [7]
Nequaquam regimur legibus, at mali
Nos leges regimus. Tamen
Exleges populos dicere barbaros

Fas

7. Deplorat legum contemptum, extinctumque amorem Patriae, quo Romani, & Graeci tantoperè ſuam Patriam proſequebantur.

Fas eſt, et pueris licet.
Privatae cuivis tantus amor rei,
Ut vel pernicie ſuae,
Et faſces, & opes quaerere Patriae,
Proſit Civibus impiis.
Nil illis Patriae, nil Reipublicae
Usquam nomine inanius:
Riderique poteſt, qui memoret, ſua
Pro Roma cupidos mori,
Brutos, et Decios, & Fabium genus;
Aut qui, nil niſi gloriae
Virtutisque avidos, caetera pauperes,
Prae Perſis opulentibus
Laudet Spartiatas, & Lacedaemona.
Aſtraeae [8] quid ego fugam?
Impunem ſcelerum quidve proterviam?
Tacta Altaria Judici
Perjuro? immemori fulminis & Jovis?
His Urbes periêre tot!
Haec triſtem minitant gentibus exitum:
Cudunt

8. Deplorat Aſtraeae, ſeu Juſtitiae exilium.

Cudunt implacidi Dij
His in genua graves libera compedes.
Jam quid certius! ultimum
Si non exitium nunciet oſcines [9]
Regno fatidicus? cui
Deſunt arma foris? conſilium domi?
Si Vates cecinit bene,
Vis conſilii expers, mole ruit ſua,
Et quidquid viguit, perit.
Sed jam rauca [10] mihi fila prementibus
Reſpondent digitis: diu
Tenſae, languet iners et Citharae ſonus.
Nec tantum mihi flaminis [11]
Princeps, quanta tui vis calami. Tuum
Cunctis ſcilicet artibus [eſt
Doctas addere res, & nova lumina:
Nullum ferme genus tuis
Intactum ſtudiis. Tu Zoroaſte, [12] tu
Archi-

9 Avis auſpicium ore canens.
10. Sed iam mihi fila lyrae rauca: nec benè reſpondent digitis prementibus.
11. Neque tantum mihi eſt ſpiritus o! Princeps, quanta vis ineſt tuo calamo, qui in omni genere multa doctè ſcripſiſti.

Archimede Magiſtro, iter
Aſtrorum ſequeris et vaga ſidera.
Tu rurſum cupidus, vias
Naturae ac animi ſcire reconditas
Stoae, [13] Teque Platonicis
Miſces diſcipulis, & Samii ſenis. [14]
Jam vel lucida [15] Sardonyx, [16]
Vel gemmis facies eruta Caeſarum, ac
Nummis, quae nitet aureis,
Aut inciſa notis marmora publicis,
Noſcendi te avidum movent.
Priſci cura tenet Te quoque temporis;
Et nunc cautus origines
Regnorum dubias, & variam vicem
Scru-

12. Zoroaſtes Bactrianorum Rex Aſtronomiae peritiſſimus. Archimedes Syracuſanus celeberrimus Aſtronomus.

13. Porticus Athenis celeberrima Paecile dicta, in qua Zeno Auctor Stoicae Sectae Philoſophiam profitebatur. Stoa vox græca, non latina.

14. Pythagoras è Samo Inſula oriundus.

15. Sardonyx genus gemmae coloris rubei à Sardis primum repertae.

16. Laudatur Princeps à rariſſima collectione veterum gemmarum cum vultibus Caeſarum, & aliorum Heroum, à cognitione Veterum inſcriptionum, à ſtudio Hiſtoriae, à Genealogiis Principum Poloniae Familiarum editis, à vitis Imperatorum Polonorum deſcriptis,

Scrutaris, modo pofteros
    Majorum titulis, & ferie mones,
Quonam fanguine fint fati.
    Per te vita redit fortibus & bonis
Poft mortem Ducibus: Viros
    Et pennâ revocas immeritos mori:
Quorum pro Patria datae
    Ingentes animae, pulchraque vulnera,
Virtutem melius docent,
    [Torpentem penitus, fi ftimulo caret]
Exemploque potentius
    Incendunt veteris pectora frigida
Libertatis amore, quam
    Alterna gracilis fiftula cum Lyra.



ODE IX.

Execratio in malos Cives, proditoresque Patriae jacta.

Caelo tonantis justa Jovis manus
Centum coruscis ignea nubibus
In Patriae prolem scelestam
Horrisono plue tela nimbo!

Sinesne saevas rodere viperas
Carae Parentis viscera? Si tamen [1]
Lenti Dii sint, impiosve est
Jussa sequi pede paena claudo,

Felixque crimen ridet, & omnia
Virtutis aufert praemia si scelus,
Si forte sors præsens bonorum est,
Dira pati nisi spe futuri?

At parte saltem jam [2] Stygis alterâ
Dî fraudulentis Ixionis rotas
Para-

1. Si in vita praesente scelera impunita triumphant, si bonos hic pati oportet.
2. O saltem in altera parte Stygis, seu in altera vita meritas luant paenas!

Parate ! fumantesque taedas
Tiſiphones, ſimul & ſororum:

Paſti Meduſae pectora ſentiant
Virus colubri, roſtraque vulturis
Edacis, aeternosque morſus,
Et Phrygii labra ſicca Regis. [3]

ODE X.

In impium Poetam.

Quicunque ſit Auctor carminis de terrae motu Ulyſſipponenſi. [1]

Jmpie! quid quereris? veſane! ſceleſte! (quid audes?
Tantane rabie innoxios petis Deos?
Innocuae quare à virtutis, *Jupiter, ictu*
Orditur! & cur crimen haud prius ferit?

D2 Heus

3. Tantali.
1. Auctor carminis de terrae motu arguit Deum. & facetè quaerit cur Ulyſſipponem piam & religioſam Urbem, & non potius alias impias everterit.

Heus tu! ſi crimen, Divûm prius ira feriret,
Quot obruiſſet jam tuum telis caput?
Tu vivis! caeloque moves Titania bella:
Typhaea proles! & manus gravis Jovi.
Fallor! an arridet nomen tibi forte Gygantis?
Hoc ne tumeſcas rectius de te canam:
Vivis! & inſultas toties? impune? tot annis
Divinitati? vilis & foetens cimex!
Ingenio (fateor, quod non præſtantius ulli)
Ut deſtruas, quidquid ſacri eſt, tantum vales?
Nam tibi qui metro praeſtet, levioreque plectro,
Scribatve melius, cogitet pejus, quis eſt?
O he! ſis ſapiens! aſt haec ſapientia, quanti eſt?
Cui cum pecoribus eſt idem ſummum bonum [2]

Lotus

---

2. Voluptas corporis.

Lotus fonte ſacro (ſi jam id tibi dicere fas eſt),
Non noſcis aliam Cypriam praeter Deam.
Tu ſacra, tu Divos, tu noſtra altaria temnis.
Pectus tibi, ipſis Gnidiae [3] votis calet?
Aris digna tuis ſola eſt & thure voluptas.
Religio, Muſis riſus & jocus tuis.
O hominum faecem! tanto cui ſpernitur auſu
Lex Chriſtiana! *Legis* & *Lator Deus*,
Ridetur cui, *mens* rectrix *improvida* mundi,
Infauſta virtus, ſemperque *beatum ſcelus*.
Cui Deus errat, & hunc dudum malè dirigit orbem:
Solisque noſtrum *caſibus* linquit genus.

3. Cypria, Gnidia Venus in Cypro & Gnido culta.

Juſtitiae nomen cui nil, niſi vana *chimerae*
Imago, *quam qui ridet, eſt felix latro.*
Ipſos *ſaeva pati* niſi fata, *pioſque, proboſque*,
Favere Superos impiis, terrâ, mari.
Haec dum dira vomis noctuque diuque, triumphas?
Non te Tonantis obrutum flammis adhuc?
Scisne? alium, ceciniſſe Epicuri de grege porcum:[4]
Paenam ſceleſtos inſequi *claudo pede*?
Durum me dicas ſaevumque? videlicet in Te
Nobis nihil? Tibi in Deos tantum licet?



ODE

4. Horatius ita ſoipſum nominat.

O D E XI.

AD

COMITEM ARANDA,

Principem Virum Optimatemque Hispaniae, Equitem Aurei Velleris, nuper Legatum Catholici Regis ad Regem & Rempublicam Poloniae; deinde Supremum Hispaniae Exercitûs bello Lusitanico Ducem.

Post pactas conditiones Pacis 1762. *decantata.*

Nomine Civitatis Varsaviensis.

Dux Aranda, Atavis edite ditibus, [1]
Nostrae delicium dulce, Tuae decus
Gentis, laurigera Martis in otio,
Jam nunc ecquid ages manu?

Prudens, inter eos non ego Te Duces
Ponam, flamma, cinis, queis placet, Urbium
Qui turres sepelit, tecta ruentia, et
Moles aequat humo graves.

 Vi-

1. Familia Aranda haereditario gaudet titulo, *homme riche d' Arragon.*

Victori placeant rudera barbaro,
Ac gratus vacuis ſit ſonus aedibus,
Et deſertus ager, fana, lares, domus
Olim non habitabiles.

Sed conceſſa feris tuta cubilia
Apris, atque lupis antra rapacibus.
Te mitem genuit, nec cui lenius
Natura ingenium dedit;

Si Te praecipitem vividus impetus
Hoſtes in medios perpulit, hoſtibus
Inſtar Te voluit fulminis: at bonum
Victis, Te voluit Patrem.

Tu [a] luges miſeros, Tu pia lumina
Oblectare caves cladibus horridis.
Te ſuſpiria lamentaque Virginis
Sponſi funera flentis, et

Voces

a. Te maerentem lacerant ſuſpiria, lamenta, &c. voces Matrum, agmina Conjugum, orbitas ſeculi. &c.

Voces militibus dira precantium
Matrum, Te tenerarnm agmina Conjugum
Longas ſparſa comas, ſaevaque praelia
Deteſtantium inaniter,

Te triſtis ſenii flebilis orbitas
Maerentem lacerant, non ſecus ac Tuis
Damnis atque malis. Illachrymantibus
Haec ſpectas oculis Parens.

Non fuſum aere Tibi pectus aheneum.
Inſunt mollia praecordia. Quin piget
Te mox, cernere, ſi vel tacitus dolor [3]
Udis excubat in genis.

Ingens fama, decus (velificant cui [4]
Heroes, proprio ſanguine Civium
Merſuri Patriam, Regnaque triſtia)
Non tanti tamen eſt Tibi,

Vitam

3. Cernere non potes vel tacitum dolorem, qui excubat in genis udis, ſeu quae lachrymis conſperſae ſunt.
4. Heroes famae velificant.ſeu famae inſerviunt non parcendo ſanguini ſuorum Civium.

Vitam non reputes Civis ut unius
Pluris. Difpereant! quèis hominum cruor
Vilis, ferta fui qui capitis, nece, et
Terrarum excidio parant.

Jam cum fis animo, qualis ineft Tibi,
Nil humanius ut Te fit; Ohe! quibus
Non te continuo laetitiis eâ
Inceffiffe putem die?

Qua confanguineae Pax Lufitaniae
Affulfit. Sed enim gaudia quae fimul
Devexit trepidanti Oceano Tagus? [5]
Quove urbem eripuit metu?

Non fic, fi Libici [6] fe catuli novis
Felix explicuit caprea dentibus,
Rupes laeta falit, fummaque montium
Vix tactis quatit ungulis;

Non

5. Flumen ad Olyffipponem.
6. Olyffippo Princeps Urbs Lufitaniae extremo periculo erepta, qua laetitia inceſſerit, terna fimilitudine illuftratur. Caprea dentibus Leonis explicata, Alite ex ungue aquilae elapsa, Hoſtiâ, quae collum fecuri fubducit, & rupto fune exiit.

Non ſic armigeram ſi Jovis alitem, et
Ungues implacidos fugit avis, nemus
Cantu implens, volucres ad modulamina
Centum vocibus evocat;

Non ſic hoſtia, quae jam prope ſanguine
Manatura, ſacris colla ſecuribus
Subduxit, ſubito libera, currit, et
Ruptis funibus exilit;

Ut jam nunc hilares laeta dies agit,
Impendente diu functa periculo,
Et caſura Tuae victima gloriae,
Olyſſippo mari potens.

Sic jam Pax nivea nube ſuper redux,
Felicis populos viſit Iberiae, [7]
Quam cornu ſequitur divite copia,
Ac ſpargit bona Fauſtitas

Et

7 Hiſpania ab Ibero amne Veteribus nominata.

Et fruges, & opes munificâ manu,
Quam cingunt comites & Themis, & Fi-
Terra ut ſitque mari jus cuivis ſuum, [des,
Neç leges ſine moribus.

Jam tutae volitant per pelagus rates,
Portus quaerere nec cogitur invios
Mercator, timidus cedere Nereo,[8]
Aut praedonibus omnia.

Et pagos vacuos, & vacua oppida
Jam Lucina [9] novis prolibus anxia
Inſtaurare, parat criminis inſcios
Caſtis connubiis thoros.

Has res, haec hominum laetius otia,
Captarum ſpoliis aſpicis Urbium:
Nec fas eſſe putas, ut Tibi laureae
Humani generis bono

Conſtent

8. Mari. Nereus Deus maris.

9. Dea parturientium.

Conſtent. Innumeris pax potior Tibi eſt
Semper viſa triumphis; nec obeſſe, [10] vis
Major, ſi interea cedere tempori, et
Fortunae jubet impari.

Nam belli cecidit ſi ſecus alea?
Rebus, quas homini noſſe datum, optimis
Pax ſemper melior, propitio Jove,
Rerum damna reſarciet.

Curas mitte graves. Sollicitam Tibi
Mentem gratuito ne quatiant metu,
Venturi (cave) praeſagia temporis:
Cautis linque futura Dîs.

In mentem revoca gaudia, Regiae
Quae noſtrae dederas; Feſtaque, copiâ,
Pompâ, compoſitis rebus, & ordine,
Graiis aemula caetibus. [11]

Tunc

10. Non videtur Tibi id quidquam obeſſe gloriae Regni, ſi major vis cedere jubet tempori. & fortunae majori. Magna Britannia eo bello, meliore fortuna uſa eſt in America, quam Hiſpania, quae ob Cubam, Havanamque recuperandam coacta fuit bello deſiſtere.

11. Tam bene ordinata feſta publica, ut apud Graecos celebriores ludi.

Tunc jam diximus: ut rarum habitura sunt,
Exactumque Ducem castra! [12] Probat Vi-
Disciplina, reique ordo domesticae, [ros
Summis Imperiis pares.

His Te dignius, aut magnificentius
Pulchris Varsaviae nil fuit otiis,
Queis Urbem, Proceres, millia Civium
Traxisti. Sed enim deus

Quis Te Sarmaticis gentibus invidus,
Ad metas properantem Herculis [13] ultimas,
Nostris eripuit semper amoribus
Quaerendum? Reliquum quid est

Jam nobis? nisi Te perpetuis palam
Votis, omnibusque ac precibus sequi:
Tranquillum, incolumem, Te Patriae diu
Servent ut Superi Tuae.

Dum

12. Qui domum & familiam propriam bene regit, bene recturus putatur Civitatem, & exercitum.
13. Metae Herculis, Gades Insulae in ora Hispaniae Baeticae ad Oceanum sitae.

Dum faecunda mari Vitula Balthico
Meſſes Sarmatiae devehet annuas,
Servabit memori Sarmata pectore,
Quas Aranda potens, opes

(Totus deliciis dum populi vacat)
Hic fudit: Veterum ſacra, [14]Quiritibus
Ne ſint invidiae, munera Caeſarum
Saturnalibus edita.



ODE

14. Ne ſint invidiae Quiritibus, ſeu liberis Polonis nobilibus. munera Caeſarum, quae edere ſolebant Romae, feſtis praeſertim Saturnalibus.

ODE XII.

AD

CLARISSIMUM JUVENEM
VINCENTIUM POTOCKI,
recens è Collegio Nobilium egressum,
Die Ejus Nominis.

Quo suo jam vel ab hac aetate respondeat Nomini, Vates illi offert exemplum Scipionis, qui captam Carthagenae Puellarum formosissimam, Filiam Regis Illergetum, connubio, Allucio Juveni Celtiberorum Principi, promissam, intactam eidem reddidit; ingentemque auri summam ab Allucio sibi oblatam, spretamque, doti Regiae Puellae adjunxit, ita simul libidinem, avaritiamque continentissimus Adolescens vicit.

Ut Tuo jam Te similem paremque
Nomini praestes, quid agas? Trophaea
Fac refer de Te potiora, vince
Temet & ipsum.

Ille

Ille Romana Juveniis, suaque
Gloria major, Libiaeque terror,
Norma sit, clarus minus Africanis
Scipio Lauris,

Regiam quam dum [1] (cui cedat ante
Caeteras, pomum Cypriae,) Puellam,
Insciam noxae, nimium stupenti
Reddidit hosti.

Tela sic fregit, nec acutiore [2]
Alitis vinci pueri sagitta
Passus, immenso neque Celtiberi
Principis auro.

O triumphator [3] Paphiae, Plutique!
Quippe quid majus Duce continente?
Quo magis dudum tumuit superba
Roma triumpho?

1. Cui cedere debet pomum Veneris Cypriae inscriptum: *detur pulchriori.*
2. Vinci non est passus Cupidinis alati pueri sagittâ.
3. Veneris ita a Papho dictae, & Pluti divitiarum Dei.

Sic opum nec Te ſuperet cupido:
Non & à porco ſene dicta turba: 4
Molle, ſi virtus, ſtudiumque famae,
Pectus adurit.

Te probi mores, pietasque fuci
Neſciens, laus & cito profuturi
Ingenî, rebus Patriae, Tuisque,
Largius ornant.

Dî ſpei noſtrae, nec inane de Te
Magna ſpondenti mihi, Dî benigni
Annuant! at tu memor eſto fati
Vatis amici:

Semper Heroum, Venus, eſt venenum:
Herculem 5 fuſo ſubigit ferocem:
Et bonae menti, ſapientiaeque
Diffidet omni.

ODE

4. Non te ſuperet Epicurea turba. Horatius ſe ipſum vocat Epicuri de grege porcum.
5. Hercules cum ſua Omphale fuſum duxiſſe memoratur.

O D E XIII.

PÆAN AD CHRISTUM,

De castis tribus Josephis.

Nate Divina sine labe Mente,
Auctor & casti sacre fons amoris,
Fonte, cristallo, nive, luce solis
Purior ipsâ.

Quanta pulchrorum tibi liliorum
Messis assurgit! Tibi quanta nectunt
Integri vitae, scelerisque puri
Serta Josephi!

Nam Duces sancti rigidos honesti,
Laude virtutis similes eadem,
Terna Josephos Superis, & Orbi
Protulit aetas.

Unus incestam Dominae pudicus
Vicerat flammam Juvenis, tulitque,
Dum fugit, clarum, sine teste, Caelo
Teste triumphum.

Alter innuptae, celebrisque miro,
Virginis, partu, Comes, atque Cuftos,
Arbiter, tutor, Pater educati
Numinis almus.

Tertius luftris decies novemque,
Integram Caelis animam fidelis
Rite fervavit, niveamque claris
Intulit aftris.

Profpero pugnax animofus infans
Marte, devicta ftyge,[1] caftitati
Vixit aeterno, fapientiaeque
Faedere junctus.

Sic & exemplum docili Juventae,
Et modos vitae dedit innocentis,
Nefcius culpae, maculaeque, naevi
Omnis & expers.

Hofpi-

1. In tenera aetate pluries foeminarum illecebris impetitus, eas elufit, & vicit.

Hoſpitis nomen bene Nazareni [2]
Geſſit, ac ejus bene nomen & rem,
Priſca, quem dudum coluêre Patrem
Regna Canopi. [3]

Hujus ad laudes, & honore digni
Bethleemitae, Calaſanctiique, [4]
Virgines ſpargant, puerique dextris
Lilia plenis!

Hi Juventuti Pugiles, Ducesque
Aſpici digni! ſcopulos pudoris
Inter & ſyrtes, & in omne proni
Dedecus Orbis.

Nunc Cataclyſmo [5] denuo meretur
Elui tellus, prope nunc honeſti
Pulſa lex, lapsîs, vitioſiore
Vivitur aevo.

At

2. Hoſpitis Nazareni, Joſephi Sponſi Virginis.
3. Ægypti, à Canopo Urbe ad oſtium Nili ſita, ita dictae.
4. Familia pervetus & illuſtris Hiſpaniae, Parens Joſephi Calaſanctii.
5. Diluvium univerſale.

At libens caſtas, vacuasque noxae,
Qui colis mentes Deus, atque puris
Rite placaris manibus ſub albi
Tegmine farris,

Conjugum ſerva thalamos fideles,
Et puellarum, Juvenumque mores
Fraudis ignaros, ſcelus omne caſtis
Urbibus arce.

O D E XIV.

In Verba Salomonis.

Revertetur pulvis in terram ſuam, & ſpiritus redibit ad Deum, qui dedit illum.

Eccleſ. Cap. 12.

A D

D U R A N D U M,

Miniſtrum Galliae apud Regem, & Rempublicam Polonam.

Fruſtra [1] virentis flore ſuperbiens
Aetatis, annos quos ſibi dempſerit,
Apponat, aemulaeque tradat,
Innumeriſque procis triumphet

Pro-

[1] Fruſtra proterva Virgo, ſuperbiens flore virentis aetatis annos aemulae ſuae addat, quos ſibi dempſerit; moris enim eſt, ut puellae ſuorum annorum numerum minuant, puelliſque aliis annos augeant: Fruſtra proterva Virgo, & arrogans Puella, quae ita ſe formoſam exiſtimat, ut prae Venere pomum illi à Paride debeatur; fruſtra, inquam, ſe continuo in ſpeculo contemplatur.

Proterva Virgo, prae quoque Cypria
Pomum mereri ſe putet, arrogans
Puella, depictum repente [2]
In ſpeculo, meditata vultum.

Fruſtra jocoſa captus imagine, [3]
Tenſa manu ſe quaerat, & alterum
Miretur, immotisque nantem
Semet amet puer albus undis.

Fruſtra liguſtris, atque roſis, nivi
Et certet ipſi, pocula qui Jovi [4]
Praebere ſemotâ, jubetur
Prorſus Hebe tabulis Deorum.

De-

2. Nullibi ocyus magisque repente, quam in ſpeculo vultus depingi ſolet.

3. Fruſtra Hylas ſua in fluvio imagine captus ad illam manus tendit, & ſe in aquis quaerit, ſeque ut alterum miratur, & natantem in undis ſemet amat, in quas cum incidiſſet, merſus, in Hyacinthum mutatus fuit.

4. Ganymedes ſubſtitutus in locum Hebe amotae à menſis Deorum; fruſtra, inquam, hi omnes pulchritudine formae ſibi placeant, cum mors in omne pulchrum, & in omne turpe aequè deſaeviat.

Desaevit aequo pallida mors pede
In omne pulchrum, turpius & nigro
Thersitis à Pelide caesi, [5]
Et Phrygii senis ore faedo. [6]

Formosa quaevis, hisque nihil minus [7]
Furore caeco proterit Atropos:
Cardos & urticas, & una
Lilia, trux, violasque miscet.

Luto quod exit, scilicet in lutum
Redibit. In se rursus humus trahit,
Et quidquid effudit, resorbet
Cuncta sinu capiente tellus.

Ex se renasci provida, perpete
Natura gyro volvitur: & rotâ
Vertuntur aeternâ suisque
Se reparant elementa damnis.

At

5. Thersites turpis, & convitiator Achillis, à quo pugno occisus. Achilles Pelides, Pelei filius.
6. Æsopi ore.
7. Hisque nihil minus, id est; nihil minus quam formosa, proinde turpia, proterit Atropos, seu mors.

At ſint idem iſthaec, *naſcier*, & *mori*,
Ludantque notum terrea circulum, [8]
In pulverem, ſi pulvis, atrum,
In veterem, ſua terra, terram,

Indeſinenti ſi remeent vice:
Diverſa [9] multum ſors animis data eſt!
Mortale nil inhaeſit illis,
Nil, quod humus repetat, caducum.

Igni

8. Terreſtria omnia in circulum verti videntur, id eſt: cum tempore quaſi in ſuum locum redire.

9. Si terrena omnia in terram indeſinenter remeant, animorum ſors eſt alia, hi enim in terram non remeant, nam nil caducum illis inhaeret, quod humo, ſeu terrae debeant, nil igni caloris, nil ponderis ſolo, nil humoris aquae, nil mollis aeri, nil inquam, quatuor elementis debent, proinde in ea diſſolvi nequeunt. Qui vero Philoſophi ſimile quidpiam Spiritui, quamvis in infimo gradu, cum D. Bernardo brutis etiam attribuunt; aſſerunt ſimul melius, magisque immortalitatem animae humanae evinci à Creatoris voluntate, qui hominum ſpiritus ratione, voluntate, libertate merendi, vel demerendi donavit, proinde ad conſequendam mercedem operum in futura vita eos conſervat: animabus vero brutorum ratione & libertate carentibus, etiamſi forte ſpiritus quidam eſſent, conſervationem denegat, easque in nihilum redigit.

Igni caloris, ponderis & ſolo
Nil debet, udo nil quoque Nereo,
Aut aeri nil molle, rerum
Principiis animus quaternis

Nil debet. In ſe totus & integer,
Non ſectilis, nil compoſitus, proin
In quasque diſſolvi recuſat
Poſſe, quibus caret ipſe, partes.

Nec eſſe putum materiae modum
Affirmet, herbis quem male Colchicis
Inſecit Uxor, in furorem
Carminibusque dedit malignis.[10]

Ignava nam quid materies tenet?
An eſt futuri proſpiciens? memor
Lapſi? ſciens praeſentis? utrum
Cogitat? & bene cogitantem

Se

10. Lucretius Epicureus, qui herbis veneficis ab uxore praebitis in furias actus mortem oppetiit, animam è materia tali modo diſpoſita educit.

Se noſcit? utrum conſcia ſit ſui?
Novitne, quae ſe de nihilo, manus
Expreſſit? an ſe ſe ipſa verſat,
Libere in hanc, aliamve partem?

An ejus inſunt forte atomis vaga
Scientiarum ſemina, & artium?
Finesne? diſcrimenne callet
Illiciti, licitique moris?

Fortaſſe ſunt? quae nolit? aut velit?
Quae judicet? quae materia ordinet?
Se forte res educat, ipſa
Inſipiens, ſapientiores?

Sit ſpiſſa moles, ſitve liquens? caret
His omibus. Si viribus ingeni *
Quod praeſtet, effingas? id ulli,
Nec tibimet tamen ipſe credas.

Jam

*. Nec fingi quidem, aut credi poteſt, quod materia praeſtet intellectu, & ingenio.

Jam quod fuamet non habet in penu,
Qui det? [12] Nec ergo fortuito venit,
Nec inde; fed caelefte prorfus,
Mens, Ratioque, Animusque donum eft.

Exhaufit illum pectore proprio,
Venasque in omnes ore Diefpiter [13]
Spiravit admoto: lutumque
Incaluit meliore flamma,

Quam raptus ignis folis ab orbibus,
Per fabulofi furta Promothei.
Eft fpiritus facer, Deique
Halitus eft, & imago nullis

Delenda fæclis. Hujus originis
Superba [14] dono temnat inutiles
Metus tenebrofae, brevisque
Sandapilae, neque fata triftis

In-

2. Nemo dat, quod non habet.
13. Diefpieter, Jupiter diei Pater.
14 Hujus originis dono fuperba mens humana, contemnat, necefle eft mortem, nec de vitae brevitate, Deos inculet &c. Sandapila, feretrum, feu tumba cadaveris.

Incuſet, arctis limitibus Deos
Clauſiſſe vitae tempora, patrio
Mens nata Caelo, perpes aevi
Lumen, inocciduosque ſoles

Viſura ſemper. *Spiritus ad DEUM*
Qui fecit illum, quippe redibit, et
Torrens, in immenſique gutta
Oceani remeabit altum.

Sic unde ſumpſit principium dia
Mens, ſemper illuc quaeret & exitum:
Ni cymba nobiscum Charontis [15]
Incidat in ſtygias paludes.

Sed

---

15. Niſi nos ipſimet in ſtygem praecipitemus deflectendo ab ultimo fine.

16. Ad ripas Vegreae ubi nunc vicus eſt de Roboribus [*Roveres*] quernum nemus incolebant, ibique caetus ſuos agebant Druidae Philoſophi Galli. O! Durande, qui altâ ſapientia excedis ſacras Druidum quercus, & mentes, ac concilium Philoſophorum ad ripas Vegreae celebrari ſolitum.

Sed haec ne parvae conveniant lyrae ?
Quo Musa? Quercus [16] o Druidum sacras,
Mentesque sublimes, Vegreae
Concilium vetus omne ripae

Excellis altâ qui sapientiâ,
Durande, quo nec porticus [17] ulla, nec
Frequens [18] Academus, nec olim
A Samio [19] Duce Secta nota,

Praestantiorem Philosophum audiit,
Ne carmen audax temne: severa Te
Decent, sed & Musis amico,
Vena Tibi [20] Venusina ridet.

ODE

17. Stoicorum.
18. Academus Fundator loci Academia dicti. In hujus inferiori Gymnasio, quod proprie Academia dicebatur, Plato Philosophiam magna discipulorum frequentia professus est. In superiori autem Gymnasio, quod Lyceum vocabatur, Aristoteles suos in Philosophia instituit sectatores.
19. a Pythagora.
20. Vena Horatiana. Venusium in Apulia Patria Horatii.

ODE XV.

Juvenilis aetas perbrevis.

Triste lugebit senium Juventus,
Laeta quae vixit nimium: sequuta,
Quà praeit caecus puer, & pharetrâ
Notus & arcu. [1]

Tota cui aestas hyemi paranuis
Frugibus solers, cui mite ver, et
Udus Autumnus salit otiosae
More cicadae.

Praeterit pulchrae breve ver Juventae,
Flos & aetatis propere caducus.
Imminet, rugis, tremuloque bruma
Hispida vultu.

Serpit, heu intus, taciteque rodit
Ossa gliscentis caries senectae.
Vosne formosos? Juvenesne semper
Esse licebit?

Qui

1. Cupido. Juventus quae sequuta est cupidinem lugebit.

Qui [2] rotas Phaebi rapiunt, iidem
Non reverſuros, Pyrois & Æthon,
Avehunt annos, procul ultimoque
Æquore mergunt.

O D E XVI.

A D

J O A N N E M B O R C H,

Palatinum Livoniae,

cum ſtabiliendae rei nummariae totus incumberet.

Opus eſt benefacere invitae multitudini.

Olim temporibus qui melioribus
Naſci dignus eras, o Reipublicae
Tam praeclare Senator!
Quam nil Philoſopho minor:
Summarum niſi res eſt ea mentium,
Totum ſe Patriae tradere commodis;
At qui, ſponte perire
(Quales Andabatae [1]) ruunt,

2. Pyrois, & Æthon equi Solis, qui rapiunt currum ſolis, rapiunt & annos non reverſuros, eosque videntur in aequore mergere.

1. Andabatae Populi clauſis velamine oculis pugnare ſoliti. *Qui ſponte perire*, ſeu ut pereant, ruunt, quales erant Andabatae.

Præter fata, furor quos rapit in ſuam
Caecus perniciem, rejicientibus,
Exoſisque ſalutem,
In praeceps & euntibus,

Dextram tendere,opem ferre piam, bonis
Hoc par eſt Superis, Disque ſimillimum?
Virtus non hominum haec eſt:
Saltem ſemideos, decet.

Vecors, non hodie ſcilicet, optima
Faſtidit populus, pars, male credulus,
Pars, obtuſus, & aſper,
Pars verſatilis, & levis;

Mutari facilis: ſed ſapientiae
Juſſis, qui indocilis flectere ſe neget:
Denſas ocyus Orphei [2]
Sylvas ut lyra moverit,

Et

2. Ut Orpheo facilius fuerit ſylvas, & rupes lyrâ, & cantu movere, quam ut hi indociles homines inflecti poſſint ad juſſa & leges ſapientiae.

Et rupes [3] Salios civerit ad modos.
Felix eſſe quidem diſcupit,[4] eſſe ſed
Felix neſcit: et aeſtu
Ferventis pelagi minus

Tranquillus fremit, ac motibus omnia
Incertis agitat. Sed cui? quam Tibi eſt
Vulgi nota vel undis
Inconſtantior indoles?

Callet nemo, hominum Te melius genus.
Aſt cordi Tibi ſors illius, & bonum eſt.
Urgens [5] paſſibus aequis
Semper Cynthia Cynthium,

Deſudare diu, noctequе Te vident,
Teſtes, quidquid agis Civibus utile.
Jam docte meditatas
Patrum Curia res ſtupet,

3. Salios ad modos, id eſt: ad choreas. Salii Sacerdotes Martis apud Romanos, ſaltando cultum Diis exhibere ſoliti.
4. Populus.
5. Cynthia Luna, Cynthius Sol, à monte Cynthio nomen habent. Luna, quae ſemper Solem urget, id eſt: conſequitur paſſibus aequis, ſeu aequalibus, Luna & Sol Te vident diu, noctuque.

Ac cum Rege probat: quid populus? ſtre-
Et pro more ſuo garrit ineptus: at [pit!
Donis & benefactis
Invitus fruitur Tuis.

Jn pulchro properum tramite gloriae
Nil te ſiſtit, at eſt ſat Tibi, publica
De Re, Te meruiſſe:.
Totus gnavus & anxius

Firmes ut Patrias conſiliis opes,
Praevertis [6] monitis damna ſalubribus.
Ranarum [7] utque retardat
Phaeben, vociferatio,

Sic plebeiùs & clamor, ab orbita
Recti. Te revocat. Legitimum Tui,
Seram poſteritatem,
Noſcis non niſi judicem.

ODE

6. Praevertis, id eſt: avertis damna.
7. Utque ranarum vociferatio Phaeben (Lunam) non retardat, ſic nec Te plebeius clamor ab orbita recti avocat.

O D E XVII.

Sub initium Interregni Anno 1764.
Decantata.

ex illo Salomonis:

Da mihi Domine sedium tuarum Assistricem sapientiam, &c.
Sapientiae 9.

Deinde

STANISLAO AUGUSTO,

Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, &c. &c. &c.

Dedicata.
De Sapiente Rege.

Si quod profanis [1] est vetitum, licet
Audire Vates: Sarmatiae novum
Regem daturus, sic Deos est,
Sic Superûm Pater allocutus,

1. Si profanis hominibus erat vetitum apud Veteres audire arcana Deorum mysteria, id semper sacris Vatibus licebat; proinde Vates se praesente Jovem Deos allocutum esse de Electione futuri Regis Poloniae, testatur.

Me teſte: Se quod rite colentibus,
Boniſque, Reges det Populis bonos,
Probos, pios, fortes, tenaces
Juſtitiae: *Sapientiamque*

Locet beati ponè latus Throni;
Quae dictet aptas, ſeligat optimas,
Et pacis, & belli, ſecundis
Temporibus, dubiisque, Leges.

Haec [2] ſceptra, ſacra verſat ubi manu,
Sancto Senatûs Concilio, Patres
Conſcribit auguſtos: ad omne,
(E populo meliore quovis

Lecto) recenſet munus idoneos.
Addit bonis calcaria, praemiis.
Cietque [3] tardantem mereri,
Utilium celebrata latè

Mer-

2. Sapientia.
3. Eum, qui tardat benè mereri de Patria, merces à Principe pro laboribus utilibus, aliis collata, omnibusque nota, excitat.

Merces laborum. Perdita ſpes malis.
Fortuna Cives deſerit improbos.
Virtutis almae cuncta parent
Imperio. Patrios honores,
Non illa Avorum, ſed meritis jubet
Gnavam Juventam quaerere propriis.
Greges adulantûm, paratas
Venum animas, facilesque vendi,
Sublimis arcet limine Regiae:
Faſces & omnes flagitio eripit.
Intaminatis ipſa praeeſt
Judiciis, nec in innocentem
Jus dat potenti. Si facilis tamen,
Si prompta culpae parcere ſupplici,
At crimen exerta protervum
Terret, & inſequitur ſecuri.
Hinc triſte [4] ſeptis qualis olentibus
Lupus, canum qui territus agmine,
Arrexit horrentes capillos,
Perpetuâque fugâ relictis. Eru-

4. Hinc qualis lupus *triſte* ſeptis olentibus: ita Virgilius: *Triſte lupus ſtabulis*, id eſt: qui contriſtat ſtabula, & ſepta ovibus, caprisque olentia.

Erupit oris; ſic miſerabile,
Sic omni inaudax & pavidum loco,
Foroque, compitisque pulſum,
Ac domibus, ſcelus exul errat.

Seris nec aurum, vecteque triplici
Eget: nec Argi centum oculis thorus
Pudicus. Effraenes ſat auſus
Paena vigil cohibet, nefasque.

Rectricis haec eſt vis ſapientiae.
Illius [5] ars eſt, noſſe, quid indoles
Gentis, quid innatus repoſcat
Laudis amor? quid opum cupido?

Non uſitatis inde modis agit, [6]
Urgetque motu perpete, floreant
Artes ut omnes: hicque acuto
Ingenio, vel aduſque priſcis

Res

5. Sapientiae Regiae ars eſt; noſcere gentem propriam, qualis ſit indolis, utrum amore laudis, an lucri cupiditate magis ducatur.
6. Sapientia agit, & urget motu continuo, ut artes omnes effloreſcant; utque hic, qui eſt acuto ingenio

Res irrepertas detegat, aut novam
Lucem repertis addat; at hic manu
Quam mente plus celer, ſtupendi
Res operis, pretiique magni

Effingat; (empturo illicium potens)
Deſiderati ſic opifex lucri
Sit certus, ac iſto perennes
Fonte meent, remeentque num-[mi.

Primus regentis ſed labor, ut parens
Faecunda frugum, rura Ceres colat:
Tiphysque [7] quaeſitas in omni
Littore, velivolisque clauſas

Merces carinis, invehat Urbibus.
Gaudetque, privatam ſi opulentiam
Induſtriae debet, ſuasque
Quiſque opera ſtudioſiore

Res

ingenio, vel non repertas adhuc res in ſcientiis, artibusque detegat, vel jam repertis novam lucem addat; Aſt hic alius, qui celerior eſt manu, quam ingenio, effingat opera ſtupenda, magnique pretii, & quae divites ad emendum alliciant &c.

7. Tiphys Argonauta, qui artem gubernandarum navium primus edocuit.

Res ſemper urget, navus & impiger.
Re ſingulorum creſcere publicam,
Cum nôrit, & commune magnum
Cenſibus exiguis parari.

Nec negligit, quas celat humus ſinu
Gazas avaro: viſcera montium
Ferro ſecat, nigris & infert
Damna [8] Pluti, Triviaeque Regnis,

Venas ut addat divitiis novas.
Tranquilla tutas ſed teneant opes
Ut regna, tutelâ potenti, et
Viribus hic opus eſt, et armis.

Haec Rex futuri proſpiciens, parat.
Ne conſilii expers, quid trepidis agat
In rebus, incensâ ſequatur
Dardanidem, Æneadasque Trojâ. [9]

Re-

8. Plutus, & Trivia, ſeu Luna, apud Poetas, Reges ſunt ſubterranei.
9. Ne fugiat è propria Regia, uti Æneas, & Dardanidae, ſeu Trojani, ex incenſa fugerunt Troja.

Recensve miles, ne rudis agminum,
Flammaeque, Martis turbet opus grave;
Conſtat, repentinis deeſſe
Et ſubitis animum, modumque,

Jn imparatos ſi celeri pede
Hoſtis vel impar ingruit. Otia
Rex neſcit, eventura prudens
Providet, & meditatur alta

In pace bellum: vel ſocialibus
Paci ſuorum faederibus cavet,
Vectes ut aeternos ahenis
Det foribus, referet nec unquam

Templum Bifrontis. [10] Laetus, amabilem
Suo quietem ſi populo, eximit
Externa nec vis, Civium nec
Jurgia, peſtiferaeque rixae.

Sed

10. Bifrontis Jani templum pace ſemper clauſum, bello referabatur.

Sed grata, ſomno ſi placido levat
Feſſos aratro cum Dominis boves',
Nutantis, annoſaeque quercûs
Umbra, ſoporiferaeque ripae. "

In publicorum tunc operum novas
Molitiones, pronus & integer
Incumbit, ac Divos ſuperbis
Indigetes habitare templis

Jubet. Tener vel tunc inopum Pater,
Infert aſylîs pauperiem piîs;
Doctas Juventuti Palaeſtras,
Et mutilis, ſenioque fractis,

(Attrita quorum caſſide tempora)
Tunc Martiales aedificat Domos.
Tunc impedituras, feroci
Hoſti aditum per aperta Regni,

Com-

x. *Ordo Gramm*: Si umbra quercùs, & ripae ſoporiferae levant placido ſomno feſſos aratro boves cum Dominis.

Communit Arces: barbarus unde Dux [12]
Nolit trecentis fulminibus quati.
Tunc pontium moles, ſimulque
Clauſtra vagis ſinuoſa rivis [13]

Ponit. Viarum dulcius Appiâ, [14]
Saxoque ſtratum planat iter. Fora,
Nec arte dimenſas plateas
Innovat, & meliore donat

Forma. Vetuſtae moenia Regiae
Corinthiis, aut Joniis modis
Exornat, ac in plebis uſum,
Deliciasque profuſus, hortos

Ludis aquoſis inſtruit. In bonum
Commune, ſemper ſplendidus omnium
Proviſor, aſt illiberalis
Et ſibimet niſi parcus ipſi.

Nil

12. Communit arces, quas Dux aliquis barbarus nolit, & metuat oppugnare, ne pluribus tormentis inde quatiatur.
13. Repagula [*Tamy, S'uzy*] in fluviis.
14. Appia celeberrima viarum, Româ Brunduſium ducens, ab Appio Claudio Caeco, ſaxo quadrato ſtrata.

Nil Regiae déeſt magnificentiae;
Aſt hac in ipſa, nil nimium. Pari
Metitur ac aequa bilance,
Qui veniunt, abeuntque cenſus;

Modumque cautus ſervat, ut exitus
Venas opum ne praeſuperet, neque
Pars major abſumatur Aulae [15]
Soricibus. Nihil eſſe novit

Egente pejus Principe. Proprii
Proin videri vult patrimonii
Attentus argutusque cuſtos:
Sollicitus magis anxiusque,

Non rem tributis augeat ut ſuam,
Sed ut Paterna demat onus manu,
Solventis è parvo, coloni,
Et tenuem ſibi vix agello [16]

Prae-

15. Peſcennius Imperator inutiles Aulicos ſorices appellare ſolebat.
16. Bonus Princeps non auget, ſed demit onera Colonorum, qui è parvo agello. & ſolvere, & tenuem vitam ſibi praebere debent.

Praebente vitam. Quippe bonus Parens,
(Ut eſt Parens, Rex officii memor)
Ceu liberos, & dulcis inſtar
Prolis amat populum, ſuosque

Cives, & unam reſpicit ut Domum,
Quàcunque ſpectat Regnum habitabile.
Partitus, aequo jure natis,
Lance pari ſua dona, nec plus

Feliciori, de Patria Viro
Sed plus merenti: vel probitas diu
Quem rara ſecrevit latentem,
Et tacitum, medioque vulgi

Exemit, aptum grandibus, & rei
Natum gerendae. Novit enim ſuos
Princeps: huic horas diurnas
Dat ſtudio, vigilesque noctes:

Se ſeque totum ſedulus uſui, et
Unum ſaluti devovet omnium.
Naſcantur è quo fonte, gnarus,
Regia jura, datasque nusquam

Fuiſſe

Fuiſſe 'gentes Regibus, at datos
Fuiſſe Reges Gentibus; haud ſua
Se ſeque libertate fruſtra
Trux hominum genus exuiſſe,

Non ut Tyrannos, (ſunt miſerae quibus
Turbae gementum, grataque ſervitus:)
Sed ut pios, juſtosque Patres
Deligeret, memoresque ſe ſe

Certis teneri Legibus. His niſi
Subeſſe Reges ſe quoque ſentiant,
Non temperatam vim, tumultus,
Seditioque nocens ſequetur.

Odêre ſemper, qui metuunt. Metu
Cuſtode tutum nil bene. Vidimus,
Si non amor fulcit, fidesque,
Saepe thronos titubare celſos.

Hoc non timebit Rex Sapiens, cui
Potens in omnes jus animos dabit
Caeleſtis ac callens regendi
Ars homines. Cui ſunt benigna,
Quae

Quae rite puris & manibus colit,
Supplexque placat Numina: Regios
Mores & exemplum ſequente,
Ac ſtudiis imitante magnis

Turba ſui veſtigia Principis.
Sic una mens eſt cum populo Duci,
Ut vera ſectentur, Deoque
Digna, ſuperſtitioſa temnant.

Nôrintque Patrem Romuleum ſacris
Praeeſſe ſummo ſub Jove, qui [17] male
Obliviosos, impiosque
Cuſpide ſaepe monet tremenda,

Quid poſſit? & quid juris in infimum
Telluris Orbem, Regnaque maxima
Sibi reſervârit, Coronas
Ad lubitum arbitriumque mutans.

17. Jupiter, qui cuſpide tremenda fulminum caelo ſaepe demiſſorum monet impios, ſuâ infinitâ potentiâ Orbem regi; quod et Horatius agnovit: *Caelo tonantem credidimus Iovem.*

Jam major, aut quae fauſtior accidit
Felicibus ſors Imperiis? ubi
Cantare non faſtidioſis
Regibus haec, cupidisque veri

Fas eſt. In Aulis ſtat male veritas:
At Rex Magiſtro Diſcipulus Jove
Qui regnat, huic primas in omni
Conſilio dat, et aure prona

Audit monentem: ſic male noxio
Errore liber, fraudibus, et dolo eſt,
Sic hoſtis eſt nulli, protervum
Quem Patriae niſi nôrit hoſtem:

Sic Patriae quò quisquis amicior,
Is certus idem, Regis Hephaeſtion; [18]
Sic cara Majeſtas ſupernis
Disque placet, populis et imis

Æquè

18. Hephaeſtion in maximis favoribus fuit apud Alexandrum Macedonem.

Æquè. Polonis addite Regibus
Regem faventes o Superi! optimum
Quem nôſtis, aut hucuſque qualem
Vaticinae cecinêre Muſae.*

Sic pax beatos alma feret dies:
Sic proſperorum Civibus omnium
Spes omnis, et fortuna creſcet:
Perque libros, per & ora ſaeclis

Narrata feris, gloria nominis,
Et laus, & ingens Imperii decus
Clareſcet, audietque, toto
Gentibus Oceano revulſis [19]



* Longior quidem juſto haec Ode eſt. ſed longitudinem ejus materiae copia, & magnitudo excuſat. Complexa eſt quidquid fere Principis officium continet, nihil in eo intactum reliquiſſe videtur, adeo, ut quaſi quoddam compendium ſanioris Politices, & conſilii accipi poſſit,

19. Ultra maria, & Oceanum habitantibus.

ODE XVIII.

In Anniversario die Electionis
STANISLAI AUGUSTI,
Regis Poloniae, Magni Ducis Lithvaniæ.

De vaticiniis Gentis Polonae cum in Campo ad Volam Regem eligeret.

PHALEUCIUM.

AD Volam situs, atque comparandus
Eleo bene, Martioque, campis, [1]
Tectus Nobilitate purpurata,
Bissenos retro, *Campus*, ante Menses,
Cum fervens, animisque, vocibusque
Te concordibus ad Thronum vocaret,
Quantis ominibus, bonisque fatis,
Quantis auguriis, amoribusque,
Auditus mihi personare totus!

Prae-

1. Wola, pagus ad Varsaviam, cujus campi Electionibus Regum sacri. Eleus campus ad urbem Elidem in Peloponneso, confluxu totius Graeciae ad ludos Olympicos, celeberrimus. Martius campus, locus Comitiorum Romanorum.

Praedicit populus lubens, quod optat:
Et de Principe ſumma ſperat. Ævum
Ac Saturnia jam redire Regna ,
Pars eſt vaticinata. Pars ab aethra
Aſtreae reduci, foro remotas
Venales animas, locum daturas.
Pars Numen placidum , pioſque nobis
Divos affore pollicetur, Aula
Pulſis impietate, troſſulisque. [2]
Pars, è ſemine fortium Virorum
Quod natura Viros, pareſque priſcis
Heroas dabit: hinc vigebit Almae
Pacis conſiliis gravis Senatus,
Et belli ſtudiis calens juventa.

Pagis, & Ceres, Urbibuſque Tiphys,
Omnes divitias ferent, opeſque.

2. Troſſuli: Cohors Equitum apud Romanos, qui ſub Romulo *Celeres*, & poſte· *Flexumines* appellati fuerant; Troſſuli dicti, quod Troſſulum oppidum Hetruriae ſine peditibus expugnâſſent. Sed cum ſenſim in effæminatos, laſcivoſque degenerârint, vox illa Troſſuli dici cœpit contemptim de iis, qui cultui nimio corporis ſtuderent; hinc linguâ noſtrâ Patriâ Troſſuli, [*Trefnisie.*]

Fundent Sarmatici metalla montes.
Nec lucentia Seribus, [3] vel Indis,
Nobis fas erit invidere fila,
Lanarumque nives Ibericarum, [4]
Sylvae lanificos dabunt Polonae
Vermes, vellere prata noſtra, nulli
Cedent Heſperiae, [5] nec Albioni.

Ætas artibus ulla percolendis,
Aut plus ingeniis amica, nuſquam,
Quam ſub tam Sapiente Rege, nobis
Affulgebit. Opes, decus, ſalutem,
Fruges, otia tuta, gloriamque,
Hoc ſub Principe fas ſit ominari.

Haec

3. Seres populi Scythiae Aſiaticae, è quorum regione fila ſerica copioſius prodierunt.

4. Hiſpanarum, Baeticarum.

5. Heſperiae, ſeu Hiſpaniae. Albioni. Angliae. ſeu M. Britanniae.

Haec praeſagia, quaeque laeta de Te
Fuderunt ſimul hoc die Quirites,[6]
Felix, omina, vota, ſpes adimple!
Imo ſpes ſupera omnium! Tuaeque
Sis Gentis Pater, optimusque Regum.
Nil iſtîs puto majus eſſe votîs,
Nullum Dii quoque majus audiêre.

6. Quirites pro Nobilitate Polona. Quirites vero Romani dicti a Romulo Quirino, ſeu ab ejus, quam portare ſolebat, Canna, (*Trzcina*) quae Sabino ſermone vocabatur *Quiris*.

O D E XIX.

In Anniverſariis Sacris

CORONATI REGIS

Ad Divos Regni Indigetes.

1 7 6 5.

O quibus Regis, Patriaeque, res ſunt
Deſuper curae, Superi benigni!
Supplici, mites, placidas & aures,
Flectite voto.

Hic dies pleno redit almus anno,
Sacra lux magnae Populi ſaluti,
Liberis certum melioris omen
Gentibus aevi.

Primus

Primus hic cellae diadema fronti
Optimi Regum, Patriæque Patris
Cinxit, & Regno nova fluctuanti
Fata reclufit.

Quanta biffeni peperêre menfes!
Pulchra Libertas, animamque Leges,
Et Themis, fedem penitus relictam,
Tuta recepit.

Confilî fanctus vigor, & Senatûs
Tempta, jam dudum rediere jura.
Spes alit bellax, avidusque prifcae
Sarmata famae.

Mirus inceffit calor & Juventam
Gloriae Patrum fatis invidentem.
Quid boni non dent & opes, & artes,
Crefcere juffae?

Profperent haec Dî bene caepta. Multo
Thure fumantes adolemus Aras,
Imperî fortes ut eant fecundae
Sofpite Rege.

ODE.

ODE XX.

AD

PAULUM THADÆUM

CZAPSKI,

Generalem Praefectum Excubiarum.

De desideriis hominum coercendis.

Beatus ille, qui cupit nihil nimis,
Votis & imponit modum.
Qui mox recedit, a quibus, recta ratio,
Desideratis, diffidet.
Libens obedit & Deo, Deique vice,
Quidquid animus rex imperat.
Cui impotentes pectoris fluctus domat,
Tridente [1] quasi, mens arbitra.

Non

1. Tridente; Neptunus sceptrum trium dentium gerit, maribusque apud Poetas imperat.

Non *plus & ultra* [2] noxiis cupidinibus,
Metamque præfigit brevem.
Cui vultus idem fortunae utrique obvius,
Utrâque non mutabilis.
Aſt haec facilia Muſis ſunt cantu meis,
Dictuque prompta Stoicis, [3]
Quorum, Socratica mentis immotae quies,
Tot intumeſcit laudibus.
Verum haec quieta ſapientis malacia, [4]
Imago pacati maris,
Occultiore nec aeſtu libidinum,
Nec Æolis diris caret.
Nam parvus Oceanus eſt homo, frui diu
Nec pace ſecum poteſt.
Rerum quaternae bella dum cauſae ge-
Ignique pugnabunt aquae, [rent, [5]
Saevis eousque & cor cupiditatibus,
Dolor, voluptas, impetent.
Riden-

2. Non *plus ultra Herculeum*, cuivis notum.
3. Stoici docebant ſapientem immotae penitus eſſe mentis, nullo motu animi laborare, qua laude Socratem prae caeteris celebrabant.
4. Malacia eſt quies ſumma maris, quae ſemper eſt periculoſa.
5. Quatuor elementa.

Ridenda Cythii vanitas Philoſophi, [6]
Nil ſentientûm Principis:
Nonnullus ex his, diſputator publicus,
Docuit: Zenonium Virum
Nunquam eſſe bilioſum, irâ nec corripi,
Unquam nec excandeſcere.
Haeç cum doceret, octies excanduit:
Naſo ſed alter mox vafro: [7]
Iratus, inquis, *ſapiens non iraſcitur*.
Dirempta lis riſu fuit.
Nec eſſe ſtatuam [8] quivis ſapientem, ſua
Decrevit è ſententia.
Iraſcimur itaque, cupimus, & horreſci-
Deſideramus plurima! [mus.
Virtutis atqui rationisque eſt, ponere
Stultè cupitis obicem:
Pravis reniti motibus, ſemper malo
Certare, ſemper vincere.

Nam

6. Zeno Princeps nil ſentientium Philoſophorum, ſeu qui ſe jactabant, nullo animi impetu contra rationem moveri, dictus Cythius ab Urbe Cypri *Cythio*, Patria ſua.
7. Naſo vafro, naſo acuto, homines aſtuti intelliguntur.
8. Nec eſſe ſapientem immobilem, ut ſtatuam.

Nam ſacra pugnae eſt vita praeſens, eſt
Sertis, triumphis, otio. [alia,
Haec veriora, ridiculis Regum aemulis,[9]
Paecilis Auditoribus.[10]
Tu qui Academo, quidquid eſt ſublimius,
Quidquid Lycaeo, & porticu,
Secernis, & quae ſaniora deligis
Annis Samii ſilentibus.[11]
Qui Chriſtianâ temperas ſapientiâ
Altos Sophorum ſpiritus,
Profunda cujus mentis inivi ſaepius
Lutetiae, & Fonte candido,[12]
Es certus arbiter, Philoſophia an Tua
Meos ìámbos influit.

ODE

Stoici ſapientem uno Jove minorem, & Regem Regum nominabant, quos irridet Horatius: *Ad ſummam ſapiens uno minor eſt Iove. Liber honoratus, pulcher, Rex denique Regum. Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.*

10. Paecile Aula Stoicorum Athenis, è Graeco à picturis ita dicta.

11. Pythagoras Samius quinque annis Auditores ſuos penitus ſilere jubebat.

12. Lutetiae, Pariſiis; Fonte candido, *Bialyſtok*, magnificentiſſimum Palatium Ducis Branicki.

ODE XXI.

De cupiditate opum moderanda.

Felix, opes qui ſpectat ita, pellucidas
Spumas ut Eoi maris. [1]
Candente rutilas linteo ripas tegunt, [2]
Brevesque diſparent nives:
Perire celeres, ſic & divitias (monet
Ut Stoa) qui conſideret,
Illis minus jam fidet, ac criſtallino
Fragilique ponti Viſtulae.
O non ad iſtas hominis ingens ſpiritus
Nugas ab alto lapſus eſt!
Carcere vel illum clauſeris adamantino,
Surſum inquietus emicat.
Felicitatum cupidus, at perennium,
Contemptor apparentium!

Pro-

1. Eoi maris, ſeu Orientalis, ab Aurora, quae Graecè Eos dicitur.

2. Maria cum in planiores ripas effluunt, lintei inſtar albi, candidâ ſpumâ eas contegunt.

Proinde pueris linquitote, quod nitet,
Ardetque fulvum & flammeum.
Quae deſeruntur, invitosve deſerunt,
Merentur an dici bona?
Jam dives ergo ſi quibus favet Plutus,
Utantor ejus munere.
At non ſuarum mancipia ſint tamen opum,
Vilesque nummûm ſervuli.
Arcae redundent aureis, & gemmeis,
Gazis utriusque Indiae;
At cor utrasque temnat altioribus
Immune ſervatum bonis.
Haec, ſi recorder, hisque ſi tecum immo-
Caſus ad omnes riſerim, [rer,
Nam ſi ſiniſtrâ rapiat, dextrâ levis
Fortuna quod dedit manu,
Rapiat! mihi (dicam) prorſus ademit ni-
Detraxit è meo nihil: [hil,
Iraſcar an fors ideo, quod ſuperflua
Dempſit pilis, & unguibus?
Dives, ſuperfluant non cui opes, ſed is,
Qui ſcit, frui parvo benè.

ODE

O D E XXII.

De ambitione fraenanda.

Sors invidenda! quorum intus mens
Humana ridet culmina; [Regia,
Raroque faſtu caeteris mortalibus,
Ut ſe minora, deſpicit,
Quae ſumma rerum credulum vulgus
Curvoque adorat poplite. [putat,
Serenitates, atque Celſitudines,
Rubras & Eminentias,
Ut quasque ſanctum jus, & fas decens ju-
Colit, ſed haud ulli invidet. [bent,
Quin & fatuitatem nimis ambientium
Faſces, Curules, Purpuras,
Explodit aut cachinnis cum Democrito,
Complorat aut Heraclito.
Nam mors, videbantur, qui prorſus impa-
Oſtendit omnino pares. [res,

Probat

Probat id colubri audax, dum & Regum
Non parcit, inſolentia: † [iliis
Ciniſque putris, dignoſci plebeiô
Qui non poteſt à pulvere.
Immenſa caſulas à Throni faſtigio
Secernit hic diſtantia,
Miſcentur illic, aequanturque, dum gravis,
Utrique tellus incubat.
Æqualitatem hanc, mundi Civis intuens,
Miſtos & imis apices,
Mirabitur nil, praeter diam mentem ho-
Humana temnet caetera. [minis,

†. Audax colubri inſolentia, qui naſcitur in iliis ſeu viſceribus Regum, aequè ac in pauperum cadaveribus; probat Reges quoque pares eſſe caeteris mortalibus.

ODE XXIII.

Ad me ipſum.
De vitae brevitate.

Heu quid vel Priamo.[1] vel Pylio [2] Seni
Prudens invideam? quem fere ſaeculis,
Praeſtolata tribus cymba [3] Charontis eſt,
Ad ripas Acheruntias.

Lethi, ſeu cita, ſeu tarda neceſſitas,
Immutabilis eſt. Ergo ſtatam mihi
Ad metam, reliquum quid ſupereſt viae?
Nil me ſollicitum tenet.

Sexaginta hyemes vidimus:[4] an prece,
Et thure, & lachrymis cogere fas Deos?
Nobis plus, minus, ut ſolſtitiis [5] adhuc
Denis tempora prorogent?

Quin

1. Trojanorum Regi valde annoſo.
2. Neſtor trecentorum annorum ſenex, à Pylo oppido in quo natus, dictus Pylius.
3. Nota cymba, ſeu navis Charontis, quâ animae per Stygias & Acherontis undas poſt mortem transvehi dicuntur.
4. 1760 Anno.
5. Dena ſolſtitia, nimirum quinque hyemalia, & aeſtiva totidem, annos quinque denotant.

Quin id si faciant, & totidem hesperos [6]
Addant praeteritis? dura tamen, mori,
Ad tristesque Erebi, ser ius, ocyus
Umbras currere, Lex jubet.

Vitam proinde rosae vivat hic, Atropos [7]
Nutricis tenerae quem rapuit sinu:
Octoginta alius spectet ab humido
Soles retrogrados capro:

Hic quercus [8] superet vel senium sacrae, et
Tercentas segetes invehat horreis:
Hic certet Lybicis vita Elephantibus,
Cornicique superstite,

Tantundem est, stygiam ripam [9] adeunti-
[bus.
Tardet, seu properet Parca, *quid est?* duas
Horas? aut duo qui saecula vixerit?
Clausus sarcophago *est cinis.*

H 2 Aetas

6. Id est: ut addant tot dies, quod jam praeterierunt. Hesperus stella, quae, cum mane solem praecedit, Lucifer appellatur; cum vero vesperi subsequitur, Hesperus vocatur.
7. Atropos, mors.
8. Quercus tribus saeculis stare dicuntur; Elephantes totidem vivere, cornix plus octo saeculis.
Id est: qui ripam stygiam adeunt, seu qui moriuntur,

Ætas an brevis, an longa? quid intereſt?
Longae finis, *idem* eſt. *ſi nihilum*, ac brevis?
Quod nuper, vel heri praeteriit, *fuit*,
Jam *non eſt*: aut eſt *nihil*.

Punctum linea cum venit ad ultimum,
Quidquid retro jacet, deperiit. Neque
Ternum Neſtora qui vixit, & occidit,
Plus vixit violae die. [10]

Si jam mors, ſubito praetereuntibus, [11]
Æquat cuncta, diu quae ſteterint, pari
Amborum interitu: nil moror, illico
Supremus celeret dies.

He-

tur, tantundem illis eſt, vixiſſe vitam roſae, quantum vitam Elephantis, aut cornicis, cum & brevis, & longa vita praeſens nihilo terminetur, in nihilum evaneſcat.

10. Quid eſt enim illud diu, cujus cum extremum venerit, totum quod præteriit, pro nihilo reputatur; ita cogitavit & Cicero.

11. Id eſt: mors dum omnia in nihilum redigit, id efficit, ut par & eorum, quae diu ſteterunt, & eorum, quae ſubito praeterierunt, interitus, omnia, quae ſive diu, ſive parum vixerunt, exaequet.

Hesterno o Superi jungite crastinum!
Brumae, quaeso, tepens addite ver adhuc!
Tantine est? ut ob hoc, Ara mihi frequens
Multis fumet odoribus?

Si fixum semel est, postgenitis locum
Linquendum esse: silens & tacitus loco
Cedam, nec querar, an cras, hodieve? sim
Pulvis surdus & immemor!

Jam si (spes etenim certa) piae migrent
Ad sedes animae, queis face Cynthii
Clara non opus est; si Libitina nos [12]
Tantum dimidios petit,

Si post, pars populi non revocabilis
In lucem, Elysiis addita Civibus,
Si manes [13] erimus? squallida quid palus?
Quid trux ad styga portitor?

H 3 Mae-

12. Libitina, seu mors, corpus perimit, animae nihil nocet.
13. Manes, animae, quae post mortem corporis manent, & Civibus Elysiis, si bonae sunt, annumerantur.

Maeſtum quid nigra me carbaſa terreant?
Inclamem potius, littus in alterum,
Æternosque ſinus, depoſitura me,
Heus felix propera ratis!

SERMO

SERMO

DE VERA GLORIA.

Argumentum.

Poeta dat Juventuti verae gloriae notionem. Incipit vero ab Horatii Flacci Veuuſini exemplo, qui, dum Auguſtus de eo, joco quereretur, ſe ab eo ſperni, quod ſuas epiſtolas & ſermones aliis non ſibi ſcriberet, ſeſe eleganti ad Auguſtum Epiſtola 1ma Lib. 2. *excuſavit, pudore ſe retrahi, ne parvum Carmen, & repentes per humum ſermones Majeſtati obtrudat: ſequi tamen vel eminus ſe Horatianos ſermones velle, qui cum tempore emendari poſſint: præſertim noſtri Auguſti ſæculo, ſub quo ſpes ſit, literas, & educationem Juvenum fore florentiſſimam, de cujus utilitate aliquid*

innuit; deinde laudis & gloriæ cupiditatem Adolescentibus potissimum inspirandam esse: monendos tamen eos esse, in quo veram olim gloriam statuere illos oporteat; non in opibus certe, non in titulis, & potentia, non in protendendo armis imperio, sed in bene merendo de Patria, praesertim vero in excolendis omnibus artibus, quae sint Civibus, ac populo perutiles, beatamque reddant Rempublicam.

Repere se Venusinus humi, neque Caesaris aure
Promere dignum quid, Musa obluctante fatetur:
Arridet tamen Augusto, sermone solutae
Consimili linguae, cum Majestate locutus.
Carmina nos quoque non numeris, non arte polita,
Indeque praeceptis morum meliora, secuti,
Tentamus, premimusque Ducis vestigia Flacci

Lo-

Loripedes. [1] Conandum aliquid vel debile, donec
(More [2] Crotoniatis, fueti portare lacertîs
A vitulo crefcentis onus bovis) ad graviora
Artús firmentur. Niti libet: anxia caeptis
Ars rudibus, limam femper dabit, & mala menda
Paulatim expunget, vitiis ac oblita, nunc et
Pinguia, deterget, polietque laborque, diesque.

Augufti & nobis redit aetas, Principe docto!
Pacato qui confiliis fapientibus Orbe,
Legibus ornatâ Patria, caetuque peracto*

Ma-

---

1. Loripes, qui pedes habet debiles, & inftar lori flexibiles.
2. Crotoniatae incolœ Urbis Crotonæ in Calabria fitæ viribus excelluiffe, & praeftantiffimi Athletæ fuiffe dicuntur. Ex horum numero, Milo quidam tantæ fortitudinis fuit, ut taurum in Olympico certamine pugno occiderit; eumque per ftadii fpatium, absque minima defatigatione, fuper humeros portaverit.

* Comitiis Coronationis Anno 1764. celebratis, hæc decantata erant, tamque aufpicatae prædictiones biennio fere adimpleri coeperunt; multa faluberrima Reipublicæ conftituta, & coepta fuerunt. Sed fortuna versa, vique inopina fub finem Anni 1760. omnia fere fubruta: optare, ac ominari licet, cum præfens procella præterierit, meliora lapsîs.

Magnae Gentis, compofitis bellique, domique
Rebus, depulfis longe,qui nubibus atris,
Sanguineam quae vix non depofuêre procellam,
Sedato motu pelagi, civilibus armis
Ereptis,Jani ancipitis, qui cardine claufo,
Ac Themidos templis, & apertis Areopagis,
Tranquillo ferum folio fruiturus in ævum,
Imperii curis iftam potioribus addet,
Sarmata habere domi proprias, ut poffit Athenas,
Deficiat formandae ut nil ad magna Juventae,
Nec Latio, [3] Druidum nec fucceforibus, olim
Spartanis quidquam neque legibus invideamus:
Gloria quo Patriae crefcat, mirentur & aptos
Ca-

3. Ne Italis, Gallis, & veteribus Sparthanis Leges eorum de educatione præclaras invideamus. Druidae Myftae, & Philofophi veteres Galliae, fucceffores eorum Galli.

Caſtra Viros, Arae Myſtas, & Curia Patres,
Quos nunc Palladiis ſpectamus ludere in
ulnis.
Aſt ut quid certi prima à lanugine [4]
conſtet,
Expedit, â teneris quas ſit traducta per artes
Ætas, in cunctas verti tunc prompta figuras.
Eſtque ratum, & conſtans, tales olim fore Cives
In Patrìa, ſancta tales & in Æde Senatûs
Patres, primaevo quales in flore Juventæ,
Hos Praeceptorum prudens vigilantia
finget,
Inque animos molles melioris ſemina vitae
Injiciet. Monita inter, cauſas inter honeſtas,
Illicio famae & laudis, ſuperanteque vulgus
Gloria, ad egregios, generoſo & pectore
dignos
Ducitur auſus, pubes florentiſſima Regni,
Prae-

4. Lanugo, pili tenerrimi barbae & menti juvenilis.

Praetextam [5] pofitura brevi, ferulâque relictâ.
Civium & ipfa facros caetus auctura bonorum.

Sanguinis eft etenim alti gloria femper amica,
Pervaditque animos, & magnorum corda Virorum,
Nomen ut eximium praeponant vitæ, opibusque;
Et potiora fibi quaevis difpendia ducant
Rerum, quas primas cupiunt, virtute relicta,
Serviles animæ, lucrique cupidine captæ.

Nam quis in his unquam famamque, decusque reponat
Summum, fluxis & perituris rebus? aut quis
Fortunae prodeffe putet nifi munera caecae?
Ut nemo fit clarus, felix nemo, nifi idem Dives

5. Prætexta, genus veftimenti oblongum apud Romanos, feu toga alba purpureo prætexta limbo. Prætextam pueri gerebant ad annum ætatis decimum quintum, vel juxta alios decimum feptimum. Tunc enim, adolefcentiæ jam annos ingreffi, deponebant prætextam, & fumebant Togam puram, nullo fcilicet purpuræ prætextu diftiuctam.

Dives honoratus, multisque clientibus
auctus ?

Fascibus,ac praeeunte aurêam Lictore liburnam,*

Victrici aut lauru sua circum tempora
cinctus?

Est breve, mortales, quidquid delectat,
id unum

Praeter, quantum quis Patriae bene præstitit, & se

Exemit vulgô, magni qui nomine Civis.

Hoc sapiens bene scit, sed oberrat [6] sæpe
Juventus,

Nescia quo sese populum superelevet, &
rem

Summam, nunc in opum statuit splendore superbo,

Nunc ampullata serie locat in titulorum,
Nunc

* Liburna, genus lecticae apud Veteres, in formam Liburnicae navis constructae, in qua ditiores clausi, per Urbem vehebantur. Usurpari potest pro omni exquisitiori vehiculo, seu rheda.

6. Sapiens scit summam gloriae consistere in bene merendo de Patria, sed Juventus errat, ignoratque in quo vera gloria sita sit: an in opibus, an in ambitiosis titulis, an in solis ex hoste trophaeis, qui Juvenum error, sequentibus oppugnatur: *Divitiisne igitur*, &c.

Nunc tantum domito in captis ex hoſte
trophaeis.
Sed nos velamen teneris demamus
ocellis,
Incerti ſumant ne lucida pro pretioſis.

Divitiisne igitur tentetur gloria primum?
At tibi ſint, fuerint quae Craſſo, quaeve
Lucullo,
Aut his majores, Craeſo, vel Pygmalioni,
Si nihil hinc Patriae [7] ? niſi quod gravioribus arcis
Brachia nulla ſatis ſint? quod frangantur
aheni
Vectes? ridendi populo praebebis avari
Materiem, ad manesque macros inglorius
ibis.
Quis furor iſte etenim? mentis quae inſania? dum tot
Artibus injuſtis legitur, celetur ut aurum?
Nil intentatum, nil ſanctum, nilque propinquum
Auri ſacra fames patitur, ſopita revolvit
Rur-

7. Id eſt: ſi divitiae non impenduntur in utilitatem Patriae, nullam gloriam afferunt.

Rurfas jura, fidem nulli bene fervat amico,
Vicino juxtà litem movet, atque remoto.
Crefcit res, avido crefcit fub pectore flamma.
Nil curo, modo fim dives, locuples, opulentus,
Talem me nôrint cuncti, fic audiar Urbi.
Talis eris, fed non melior, nec pluris apella [8]
Judæo, cujus faftum, & ftratum folido auro
Grande pavimentum calcavit, & Amftela rifit.
Quà data portâ opibus lectis per fasque, nefasque,
Nil ignobilius, quin certa infamia, merces.
Nil in res alienas ufurpat fibi juris
Gloria vera, fed utilibus praeponit honefta.
Ergo congefti non ingens aeris acervus,
Manfuræ faciet lætari munere famæ
Quenquam, fi friget ftudium probitatis, et aequi,
Omnis & in fulvo demerfa eft cura metallo.

No-

8. Judæus ftratum aureis pavimentum Amftelodami habuiffe narratur. Apella defignat circumcifum, feu fine pelle.

Nomen ne quaeras fruſtra in praedivite
cenſu,
Æterno quicunque voles ſplendeſcere ho-
nore.

Ad faſces juvat ergo recurrere, & or-
dine longo
Poſcere transmiſſas ab avis, proavisque
ſecures?
Scilicet officiis, amplis, titulisque, Clien-
tum
Turba & amicorum poterit ſtudioſa pa-
rari.
Fas erit in quavis primas tum ludere
ſcena,
Et mediam Patriae damna inter, commo-
da & inter,
Lancem agitare : ultro quia parent cun-
cta potenti,
Et ſibi nil vetitum ducit, nil inficiale.

Quid liceat? vel nulla, vel ultima quæſtio,
quippe
Illi eſt prorſus idem, omnia poſſe, ac cun-
cta licere.
O miſerum! famam, qui in libertate no-
cendi,
Peccandique impune, putat ſe poſſe lo-
care.
Cui ſit idem quidvis audere, ac eſſe po-
tentem.
Glo-

Gloria vera, ſequi non vult hanc paſſibus aequis,
Sublimi venit, quaecunque ab honore, poteſtas,
Nî tota in Patriae, populorum & commoda cedat.
Vile, Magiſtratus, Comes, & Dux, vile, Senator,
Vile, Palatinus, Princeps, & maximus Archon,
Grandia diſtendant, ſi tantum nomina pompam,
Intus, quam claudit ventoſa cucurbita, nil plus.
O ingens caput! at mutum, vel inane cerebro.
Quot geſtant ſtatuas, ipſae ridentque Curules!
Gloria nempe ſuis hos accenſebit alumnis?

Trans Arabes etiam, extremos trans ſi quis et Indos
Proferat Imperii fines mucrone ſoluto,
Clarus erit, ſaeclis at deteſtabilis idem.
Namque, quid interſit, ratio docet ipſa, latrones,
Victoreſque inter populorum? furca quod illis,

At Thronus istis, pro facto debetur eodem.
Praedo fores rumpit, violatque mapalia: Regna
Tota quatit, gentes necat, exscinditque Tyrannus;
Exiguam funis praedam, sed purpura pendit
Grande latrocinium. Mercator caesus, opaco
Detegitur saltu, mento jam putruit: ohe!
Publica Praetoris clamat vindicta secures.
Impius aggressor Regni, si millia centum
Innocuorum hominum enecuit, misitque Charonti
In styge mergendos, nimio prae pondere cymbae,
Non contentus adhuc redimi sua tempora lauru,
Laetiferum caput exposcit diademate cingi.
Iò Triumphe! heus jam pueri, mimique, celebres
Cantate Heroas, quot gentibus exitiales!
Tygribus atque lupis, queìs saevior unguis, & illîs,
Se citius satiet calido panthera cruore.
Si

Si tamen humani [9] quidquam illis inſit, at ipſo
Veſani quid non patratur Martis in aeſtu?
Immeriti quantum deſpumat ſanguinis æquor!
Oppidaque in cineres, atramque redacta favillam,
Et non ploratae deletis Civibus Urbes
Intereunt: monumenta ſacrae immortalia famae!
Hisne decet manibus decus attrectare perenne,
Humana fervent quae caede, ſcatentque cruore?
Fas non eſt illos aeternis vivere faſtis,
Vita queis aliena uno ſtetit aſſe minoris.
In genus humanum quibus uſurpata poteſtas,
Divinae vim legis habet: qui ferrea cudunt
Vincula, mortales ipſi, mortalibus aequè:
Tollere qui vitam cunctis poſſunt, dare, nulli.

9. Id eſt. quod ſi etiam humanitatis aliquid erga genus humanum Principibus belligeris inſit, tamen in ipſo bellorum aeſtu, quae ſcelera, quæ cædes non patrantur?

Myriadas [10] gladiatorum, fera Myrmilionum,
Orbis in excidium, quibus agmina plebs alit aegrè:
Nam vix ipſa fame non deperit, has ut hyaenas [11]
Nutriat, hos pardos, quos trux Ducis ira ferocis
Innocuis immittat agris, ſtragesque minetur
Continuas: pavor undique, & undique clades
Imminet, & vicina fremunt, & diſſita pallent:
Scilicet, hoc homines Dis aequat, gloria vult hoc!
Par nihil: aſſiduis juvat inclareſcere bellis.
Summus apex hic eſt famae, laudumque ſuprema!

At

10. Myrias, vox graeca, ſignificat decem millia. Myrmiliones ſpecies Gladiatorum apud Romanos, qui in theatris publicis luctabantur. Gladiatores hic ponuntur pro exercitibus perpetuis, quos Principes pacis tempore, plebis laboribus alunt.

11. Hyaena beſtia ferociſſima è quadam ſpecie luporum.

At ſpernanda Viris eadem, execrandaque magnis,
Legitimi, liciti & juſti, & cultoribus aequi:
Deteſtanda bonis, linquenda Neronibus atris:
Quam qui illis fors invideat, dementior iisdem eſt,
Et tribus Anticyris [12] caput inſanabile portat.

Clarior ergo mihi meritoque illuſtrior ille,
Qui prudens [13] belli flammam, impavidusque perhorret;

12. Anticyra Inſula in mari Ægeo, in qua herbae naſcuntur ad ſananda inſanorum capita ſalubres. Hucusq; oſtenſum eſt: gloriam veram non in divitiis, titulis, & bellis, excidio hominum infamibus, quaeque Tyranni atroces continuo excitant, conſiſtere.

13. Statuitur deinde vera gloria in eo, ut impavidus Princeps, ſive Civis, bellum quidem quoad fieri poteſt, perhorreat, ſed Patriam, cum ab hoſte impetitur, generosè defendat. Pace vero reſtituta & in quosvis caſus Patriâ praemunita, eandem legibus, bonis inſtitutis, opibus, artibusque exornet.

Et cui plus vita eſt Civis, quam gloria quaevis
Propria. Sed Patriam ſi barbarus aſſilit hoſtis,
Fortunae, capitis, ſobolis, ruit immemor idem,
Ut Leo, per medias caedes, per tela, per ignes,
Conſervatque ſuas defenſis Civibus aras,
Tranquillosque Lares, cunctis tuta otia praeſtans:
Sed ſimul ut cuſtos argutus, & undique cautus,
In ſubitos quosvis caſus parat arma, manusque.
Securam populo ſic aſſerit ille quietem,
Pacatusque ſuae Patriae Numa Civibus audit,
Legibus humanas tum res in pace revincit,
Effingitque hominum genus ad virtutis amuſſim.
Ingeniis inſiſtit & artibus expoliendis,
Quae mentes acuant, ac ad ſublimia tollant,

Quae

Quae ſolidi [14] faciant ad veri cognitionem:
Quarum aliae pulſa, eraſaque ſuperſtitione,
Numinibus normam, & ſacris dent rite colendis,
Atque probos mores inducant, & baſin omnis
Juris, *quod fieri tibi non vis, & mihi nolis.*
Aſt aliæ impediant, vitiis ne dedita ſit plebs,
Torpida, pigritie ne diffluat, at maleſuadam
Indefeſſa famemque, ſitimque induſtria pellat.
Fons ut opum primus, ſolers cultura ſit agri,
Urbicolis lucroſa ferant commercia nummos.
Plebeiae turbae, diteſcendi hic modus eſto,
Hic labor, ars digitis [15] quidquid ſubtilibus audet.

14. Leges primum, & artes introducendae ſunt, quae faciant ad cognitionem veri, hoc eſt: Verae Religionis, ad rite colendum Deum pulſa ſuperſtitione, & ad juſtitiam adminiſtrandam, probosque mores inducendos. Aliae artes, quae populum occupent, lucroſaeque ſint.

15. Quò ſubtilior ars quaecunque Mechanica, eò ſubtiliore digitorum operâ eget.

Sic modico ſenſim creſcent aeraria cenſu
Patria, collectique & magni fluminis inſtar,
Gaza velut parvis turgeſcet publica rivis.
E populo jam quisque parum ſibi demat, & addat
Communes ad opes, ne pulvinaria [16] ſoli,
Dignique invidiâ jactent Regalia Perſae.

Conſilio, factoque ſuis qui talia praeſtat
Civibus, & patrios vitam partitur in uſus,
Cui ſcopus eſt commune bonum, cui denique primae
Eſt curae Reſpublica, felix atque beata
Ut ſit: huic debet ſe gloria jure perenni;
Invida non petet hunc inimico dente vetuſtas,
Nec monimenta dies delebit, nec meritorum,
Tempus edax teſtes tabulas, nec marmora laedet,
Sed nomen potius gratum transmittet in aevum,
Po-

16. Pulvinaria Regum Perſiae vocabantur duae ingentes arcae auro plenae, ad caput & pedes lecti locari ſolitae.

Poſteritasque memor tabulas, & marmo-
ra vincet.

O Cives Cives! generoſo pectora ho-
neſto
Imbuti, Vobis quid non ſub Principe tanto
Moliri expediat, verae pro gloriae amore?
Qui jam pene ſui oblitus, propriaeque ſa-
lutis
Immemor, in res, emolumentaque Civica
totus
Imminet, antiquos inſtauraturus honores
Gentis, & Europae lanci [17] momenta da-
turus.

Ergo Pater Patriae, Regum, reor opti-
me, ſalve!
Optatum decus Orbis Sarmatici, inclyta
Magni
Herois proles, [18] populo da jura fideli,
Spes ſupera noſtras, Piaſtique, & Neſtoris
aevum.

SERMO

17. Id eſt ut in Europae negotiis Reſpublica momentum addat.

18. Stanislai Poniatovii Viri tota Europa clariſſimi primi Senatoris Regni & exercituum Ducis.

SERMO

DE VIRTUTE.

O haeres [1] & amor cordis, primumque tot inter,
Artificis ſapientis, opus, pulcherrima Virtus!
O deſideriis hominum, quae meta ſcopusque es:
In cujus, ſpeculi puri inſtar, imagine, ſe ſe,
Caeleſtes ſpectant animae, videt & Deus ipſe.
O exul terris! nec egens potûsque, cibique,
Ex temetque, ſine aede, opibus ſine dives & auro.
Non adverſa humilem, non te videre ſuperbam
Proſpera: ſublimis ſemper Regina, potenti
Seu ſceptro, ſeu ſtivae [2] innixa, Thronisve, casisve.

Immor-

1. Ex eleganti, Anonymi, Patrio carmine, hic ſermo latino verſu redditus, pluribus tamen locis auctus.
2. Stiva, aratri manubrium, quo curſus ejus dirigitur.

Immortale tuae frontis decus, ipſaque nubes,[3]
Et quae non nunquam vultus tibi contegit, umbra.
Anteit auricomi vibrantia lumina ſolis,
Mortalesque, tui gemitus, lachrymaeque movent plus,
Gratia quam quaevis, riſus, jocus, atque voluptas.

O ubi es! aut in qua regione moraris? an auła
Te tenet? aut tugurî te pauperis antra? loco te
Quô quaeram? Hercyniae ſylvae, an te condit eremus?
An praefers hominum turbas, mundique tumultum?
Mortales ubi ſit? qualisque ſit? edite' muti
Nempe tacent. Vos ſaxa rogo, vos dicite montes:

Te

---

3. Id eſt: ipſa nubes triſtitiae, quae quaſi umbra nonnunquam pulcherrimum vultùm virtutis contegit.

Te quoque Phaebe, diu noctuque volu-
cribus, ut qui
Utraque perluſtras Orbis confinia, bigis,
Qua peto ſede latet? videt ejus an He-
ſperus aedes?
Phosphorus an propius? ſed cuncta ſtu-
pentque, ſilentque.

Naturae interea tamen ipſa ſilentia
mutae,
Et voces tacitae virtutem ad ſidera tol-
lunt.!
Hanc omnes celebramus, eam cupere-
mus, & ejus
Noſſe vias, quamvis virtutem quaerere
ſegnes.
Secum quisque ſuos putat hanc habitare
Penates,
Ac vitiis habitus, ſimiles virtutibus
aptat.
Temporibus noſtris (& priſcis forte, pu-
tamus
Tempora nam meliora, quibus non vixi-
mus ipſi)
Flagitium & virtus cultu comuntur eo-
dem:[4]

Ecquis

4. Id eſt: ſcelera ſub virtutis ſpecie, & cultu compare-
re volunt, illicitum ſub ſpecie liciti, inhone-
ſtum ſub ſpecie honeſti, *&c.*

Ecquis ab hac, illud, forma discernet in una?
E specie nihil externa dignoscere possis.
Jllicitum, licitis, inhonestum, certat honesto.
Magnanimi, tumidus; crimen discinctus in omne,
Laeti; prudentis, vafer; immotique, tyrannus;
Ulciscens, jûsti; vilis, repensque, modesti;
Pugnator petulans, animosi; palpo,[5] suavis;
Hic mordax, critici; vappa, [6] & scurrilis, amoeni;
Languidus ille, boni; durus, constantis, & aequi;
Mendax, subtilis; malus obtrectator, amici,
Sincerique; pii, fucatus; prodigus, ampli et
Munifici; cauti rerum custodis, avarus;
Personas sumunt, rapiunt virtutis honores.
Tu nôsti, tu sola Dei Sapientia summi,
Quid dignum, quid virtutis neque nomine dignum.
Sola superficies nobis patet, intima mentis

Nos

5. Palpo, adulator.
6. Vappa proprie vinum insipidum: appellantur hoc nomine stulti, & insipidi.

Nos fugiunt, errantque oculi: quin tactus & ipse
Fallitur, illuditque seni pellitus [7] Jacob.
Judicium magni Populi neque rectius, ut qui
Nunc Syllae [8] probat acta foro crudelia denso,
Nunc sanctum accusat, damnatque, rapitque Catonem.

Nos hominum genus objectas disparibus res
Spectamus studiis, hanc laudat hic, alter eandem
Ridet: proque suo quaevis & opinio sensu
Formas dat virtuti, alias, ut collibet, uni.
Mercator, miles, Jurisque peritus, & augens
Faenore rem, varia ratione bonique, probique
Esse volunt. Sentit, dicitque Politicus acer:

Prin-

7. Nota Jacobi Patriarchae pelle haedina manus tecti, historia.

8. Syllae Dictatoris crudelia acta à populo Romano probata: Cato Vir probus & sapiens ad carcerem raptus jussu Tribunitio.

Principibus ſimulata ſat eſt, & callida virtus:
Rure quidem ſimplex colitur ſinceraque: clauſtra
In precibus ſtatuunt totam, ac inſomnibus horis.

Cujusvis domus interea, ceu Curia: fratris
Quisque ſui Judex, & cenſor moris acutus.
Quis pejor? [9] lata eſt ſententia. Verane ſodes? [10]
Fors accuſatus melior, fors Praetor iniquus.
In ſumma, certi nihil: Oceanoque remenſo,
Qui felicius attinget, neſcimus, arenam.

Judice me, Lycoris [11] picta & veſtita ſuperbè,
Non pejor Chloride eſt, cultu, geſtuque modeſtâ.

E zo-

9. Id eſt facile ſententiam ferimus in alios homines, nunc malum, hunc pejorem, hunc peſſimum appellitando.
10. Sodes, Amice.
11. Lycoris ponitur pro foemina cultu exteriore vana, qua, alia foemina Chloris externè modeſtior, ſed fortaſſe non eſt melior.

E zona ter quina decas [12] tibi pendula, Xyſte,
Cur Caelo placeat plus, ad latus enſe Lyſandri?
Non facile edicas, avidus magis, eſtne opulentus
Plancus? an Irus inops? an plus perjure Senator
In Patriam peccas? an plus hominesque, Deosque
Ludis Myſta ſacra tangens Altaria dextra?
Ignotae nobis cauſae, ſinesque, quibus ſit, [13]
In ſe ſit quodvis ut opus pravumve, bonumve.

Quod

---

12. Roſarium, ut vocant, a devotis portari ſolitum: & revera non ideo quod quis portet roſarium, ſi virtute careat, erit melior Lyſandro milite enſem ad latus portante. Irus inops, poteſt eſſe avarior Planco divite, aeque perjurus Senator, ac perjurus Sacerdos, Deos ludunt, & peccant.

13. Quaevis actio eſt bona, vel mala a ſuo fine, vel cauſa, propter quam fit: occidit hominem Judex, & latro; ille propter juſtitiam, hic propter avaritiam.

Quod certum eſt, hominum ſumit pars maxima larvas,
Et vendit tumidas, ut facta ingentia, nugas.
Omnia jam ſed noſtra, apinae,[14] ſeu grandia, ſunto,
Scenae, Democrito ſunt, aut te Heraclite dignae.
Ludite quisque ſuam, Perſonas, quo melius quis
Luſerit, hoc melior fietque celebrior Actor.
Maximus aſt Heros, Rex, & Regina Theatri,
Heros verus erit nunquam, Reginaque, nec Rex.
Qualis enim quisque eſt, poſito ſe prodit amictu.

Vitae fine patet virtus. Cito mors inopina
Siparium [15] claudet. Jam tum Cato juſtius, an Tu ?
Quaerêris, mundo egrediens, & limine in ipſo:

K O ho-

14. Apinae, nugae, levia.
15. Siparium, velum theatri.

O homo! cur huc venisti? fortassene tantum ut
Exires? Non sic prudens Octavius: at jam,
Jamque Charonteam cymbam ascensurus, amicos,
Postremum affatus, petiit: *bene lusimus? an non?*
Assensêre omnes simul: *ergo plaudite:* dixit,
Personam bene se ratus absolvisse Sed ausin
Quaerere: num meruit plausus? [16] oppressane carae
Libertas Patriae? proscriptane Romulidarum
Millia? regnandi causâ violatane jura
Omnia? aut saeclis damnanda Perusia caedes? [17]

Pro-

16. Multa sunt, quae Augustum Octavium, trucem Tyrannum probent, quamvis clementes inter Principes numeretur.
17. Ubi fere quadringentos Patricios, florem Nobilitatis Romanæ, capta urbe neci dedit; ad eorum voces lamentabiles, hoc solo dato crudeli responso: *moriendum est*.

Proditus [18] aut Cicero, plausus meruere
Quiritum?
Exitus o fabulae potius ridendus! an
ergo
Tales semidei, templisque colentur &
aris? [19]
Talibus aula Deum, rutilusque patebit
Olympus?
Non, non. Vera quidem nisi, nescia labis
& omnis,
Pertinet ad Superos, & victrix deserit
Orbem,
Astra petitque, sui Virtus secura triumphi.

Sed jam nosse cupis, *Virtus* haec *vera*,
quibusnam
Agnoscenda notis est denique? Cujus
amussis [20]

K2 Prima

18. Notum est prout Augustus cum Antonio convenerit de capite Ciceronis: cui Oratori Augustus imprimis debebat imperium.

19. Augustus Octavius inter Deos relatus, templa illi, aræque structae.

20. Regula perfectae rectitudinis, quâ Architecti utuntur. Considerandæ sunt hoc loci Adolescentibus verae virtutis notae, & pulcherrima ejusdem definitio.

Prima,Dei lex eſt,naturae infuſa:ſuprema
Quam ratio docet, & mediam locat inter utrumque,
Extremum. Nimiumque vetat. Quae teſtibus aeque
Submotisque oculîs cenſorum, ſemper et omni
Eſt eadem, ſimilisque, loco. In ſemetque quieta,
Divinam dat pacem animo, placidoque gubernat
Imperio mentem, turgentes cordis & aeſtus
Sedat, compeſcitque vigil. Quae non niſi rectas
Tuta ſcit ire vias, & fraudis, & inſcia prorſus
Tramitis obliqui. Sortis quae ferre ſiniſtrae,
Propitiaeque vices, bene novit, ſemper utraque
Major, & ambarum domitrix. Quae tota perennis,
(Cui ſoli nata eſt) ſe ſe cura occupat ævi,
Deſpiciens rerum pereuntia. Quae popularis
Non cupiens aurae, vanaeque incuria famae,

Uti-

Utilitati hominum vacat integra. Reddere quemvis
Felicem, Patriamque ſimul, Civesque beatos,
Cui cordi eſt, impletque ſuas dexterrima partes,
Humanum genus ut juvet, & ſocialia cunctis
Commoda provideat: ſolers ac anxia, Leges,
Utque probi mores, ut fas dominetur, & aequum,
A primis ut opum rivus dimanet ad imos,
Atque rei communis amor ſit ut omnibus idem.
Hi motus, haec virtutis conamina verae.
Dumque his incumbit ſtudiis, finemque, ſcopumque
Non alium, quo tendat, habet, quam ſidera! (ducit
Unde ortum) aeternique Boni quam præmia: dignum
Cum virtute, nihil dare poſſit his infimus Orbis.

CARMEN

In adventu ad Regiam Verſalienſem

STANISLAI I.

Regis Poloniæ, Ducis Lotharingiæ,

poſt mortem Reginae Uxoris

Anno 1747.

Poeta incipit à deſcriptione Chanteaux, *quae pulcherrima Domus è regione arcis Lunevillae, pro deliciis campeſtribus delineata, & extructa magnificentiſſimo opere fuit à Rege Poloniae. In hujus Domus Regia Aula fingitur coetus, & conſilium Deorum de ſublevando maerore, ac orbitate vidui Regis.*

Eſt locus, Elyſiis, & ſi qua ſimillima campis
Planities. Medio placidus conſurgit in arvo
Collis.

Collis. Apex collis mitiſſimus aſpicit ingens
Undique terrarum ſpatium, ſata laeta, Deorum
Turres, Oppida, Pagorumque rubentia tecta,
Ludentes pratis, & amoenis vallibus amnes.
Aſpectus, ſed parte tamen magis allicit illâ,
E regione, domus late quâ Regia fulget.
It via, quâ non eſt via laetior Appia, recta;
Tendit Apollineo telum non rectius arcu.
Hâc Arcem ſpectat, ſpectarique ambit ab Arce
Collis, Parnaſsô, ſed & ipsâ gratior Idâ.
Colle ſuper (nec enim tam provida gnara futuri,
Pulchra, ſitus pulchros, fruſtra natura parâſſet)
Mirandum ſtat Regis opus, molesque ſuperba.
Pulchrius hoc quidquam, nec amoenius, Itala tellus,
Æmula nec magnae vidiſti Gallia Romae.

Formam operis, quae, ſola dedit legemque, modumque,
Ars Regis, mens Regis erat. Si Mempheos [1] arces,
Si Grajas, Latiasve domos, Tarpejaque dudum
Culmina, talis honos, talis non clarat origo,
Dicere fas Vati, nil aede auguſtius iſta!
Regiae enim penitus ducta eſt ab imagine mentis,
Rex menſus, Rex deſcripſit, Rex duxit amuſſim.

Splendida, delubris atque aequa capacibus aula,
Invideant multum cui templa Serapidis [2] aurum,
Picturas vitae ſimiles, ſpirantia vitam

Mar-

1. Memphis Urbs Ægypti Regia; pyramidibus & Regum ſepulchris, inſignis.
2. Serapis, Apis, Oſyris perinde eſt; Deus Ægyptiorum, cultus ſub ſpecie bovis atri, candida fronte inſignis.

Marmora, parìètibus rutilans genus omne metalli,
Fornicem, & in Pariis laquearia nixa columnis.

Huc Rex delecta Procerum comitante caterva
Adventat, miſcens gravibus laeta otia curis.
Si vero in feram durant convivia, noctem,
Auratis cryſtalla tholis pendentia, paſſim
Accenſos geminant ignes: it lucidus imber
Flammarum, & toto ſaliendo in marmora niſu
E ſpeculis, oculo replicata illudere gaudet,
Seque in millenos transformat flamma colores.
Extra, ac intus tota ſimul mirabilis ardet
Regia, ut innumeris dum coelum incenditur aſtris,
Maximus hanc Regum, (qui & primus in ordine Regum[3])
Rex hoſpes miratus erat. Laudarene forſan
Plus

3. Rex Galliarum, primum inter Reges Europae locum obtinet.

Plus potuit? quam dum tantum miratus, abivit?
Is? quo habitavit adhuc terris, aut aequore toto
Splendidius Regum nullus, nullusque Deorum?

His mihi, quae ſpectata, locis, auditaque, paucis
(Quorum teſtis eram, & memini) narraſſe juvabit.
Nuper enim tacitus mecum dum triſtia Vates
Volvo fata animo, neque deplorabile damnum
Reginae terris ereptae, cui ſua virtus,
Cui pietas, honor, & ſancti reverentia ſceptri,
Cui non Regis amor, populorum vota, fidesque
Profuerunt. Dum crudeles, accuſo ſorores,
Auſas Regalis praecidere ſtamina vitae:
Ecce autem ſubito, neque ſum bene conſcius ipſe,

Qua

Qua vi, quove modo, ſublimis in aera tollor,
Unoque ictu oculi nota mihi Regis in aula
Siſtor, & agnoſco molem Auguſtam, rubeasque columnas.

Non locus ante mihi ſatis obſervatus, at ingens
Conſeſſus, coetusque loci rapit. Undique vertor,
Miror, & attonitus rem totam ſpecto, ſilensque.
Haudque diu licuit, (toties qui talia vidi,
Et Vates, quae ſaepe vident) haerere, quid eſſet?
Caeleſtes habitus, caeleſtia corpora, vultus
Majores ſpecie humana, ac inſignia Divum
Propria, conſilium conflaſſe Deosque, Deasque,
Admonuere ſatis. Neque dignior ulla Tonante

Aula

Aula, nec hoſpitibus tantis toto Orbe fuiſſet.

Jupiter in medio (nam bajula fulminis ales
Mollia ſacro oneri dat colla) ſilentia dextrâ
Imperat, & Superis ita fatur: "Non latet Orbem
" Terrarum, curae, quam ſemper resque, ſalusque
" Sarmatiae mihi Regis erant, cordique. Tametſi
" Maluerim, ſcitis, jactari caſibus illum,
" Adverſis plus, quam rebus gaudere ſecundis.
" Nulla ſalutavit littus tot quaſſa procellîs,
" Ventîs tot navis, tot tempeſtatibus acta.
" Aſt hic mos meus eſt, haec lex æterna, probandis
" Hae mihi ſunt propriae veris Heroibus artes.

" Pro

" Proficit his virtus ad ſummum. Et ſci-
licet iſtâ
" Semideos decet ire viâ. Sic itur Olym-
po.
" Hoc ſolum eſt iter ad Superos, & glo-
ria tanti eſt.
" Judice me, ſi hominum nullus magis
aſpera paſſus,
" At nullus majore animo. Tranquillus,
utrique
" Vultu quam ſemper fortunae, occurrit
eodem,
" Spectavi, & quam aeque laetis, ac tri-
ſtibus uſo,
" Excidit immota nunquam ſapientia
mente.
" At quia in humanis eſt invariabilis
ordo
" Rebus, & expleri cuivis ſua fata, ne-
ceſſe:
" Ut tandem ſuprema animi vis hujus, &
omne
" Robur, & hac quid ſummum eſt in vir-
tute, pateret,

Tali

" Tali magnanimum ferii modo vulnere pectus,
" Quo nondum, fateor, perſenſit acerbius ullum.
" Haud ignota loquor. Scio, quid ſit perdere vitae,
" Fortunaeque omnis ſociam, mentisque levamen,
" Dimidiumque animae; teneram, ſi proſpera, fidam
" Adversîs comitem. Æterno quam faedere junxit
" Connubium felix, & tot firmaverat annis
" Sancta fides, & amor, fideique, & nexus amoris
" Conſimilis virtus, eadem conſtantia, eaedem
" Certae Regni artes. Partiri haud aptius, atque
" Suſtentari humeris potuit non dignius unquam
" Majeſtas paribus. Si fas decreta fuiſſet
" (Ante hominum genus, & naſcentem condita mundum,

" Cum-

" Cumque illa unde fluunt mutari nescia, mente)
" Immutare semel, stataque exsolvere lege,
" Hoc mihi profecto par immortale maneret,
" Gauderentque throno Rex, & Regina perenni.

" At frustra est. Nulli Regum indulgetur. Eundum est
" Ordine fatali, quo quivis exit ab urna.
" Maximus hic Regi est ictus, sed & ultimus idem;
" Inficit ista diem nubes postrema. Deinceps
" Clari illi soles Pylios volventur in annos,
" Filaque deducent meliores aurea Parcae.
" Dîque,Deaeque omnes,terrestres, atque superni,
" Nunc agitur, justos vidui lenire dolores
" Principis, & ratione valet qua quisque serenos
" Semper ferre dies, & amoenae tempora vitae.

" Divi-

" Divifum vobis ftudium, ac induftria; in unum
" Sed mites, facilesque fcopum concurrite Divi.
" Hoc libet. Haec mea mens. Hoc coetum fine coegi.
" Primo, (namque minax potuit fub cafside vultus
" Dignofci,) Mars verba locô fic caepit: ab ipfo
" Flore aetatis, ego Juvenem complexus, amavi;
" Viftu la, quin totus Septentrio teftis,& olim
" Hunc inter, Carolumque [4] à me partita trophaea.
" Ambo fuere mei, (mihi erat nil carius illis)
" Sarmatiae Rex, & Gothicus Bellator, alumni,

Ruffis

4. Carolum XII Sueciae Regem.

" Ruſſis Teutonibus noti, domitoque Si-
cambro.
" Nullîs, robuſtae perſaepe vacare ſene-
ctae
" Tam libet, ut ſtudiîs, quibus aſuefacta
juventa.
" Arma, arma! aſt tota hic fremitu, in-
gentique tumultu
Perſonat, Æolîs fragor haud immanior
antrîs,
Aula, nec ardentem plus fari concio,
Martem
Mota ſinit: tandem ſedato murmure vo-
cum
Armiſonum affatur placido ſic ore Mi-
nerva:
" Non haec expediunt. Regis, tran-
quilla fruatur
" Florida queîs aetas ornavit tempora
lauris.
[5] " Magno bella, licet, magno arma, Gra-
dive, Nepoti
" Linque, cui venis calidis, & pectore
toto

L "Mar-

5. Delphino Galliae.

" Martia fervet Avi virtus, Tritavique, Patrisque,
" Quorum perpetuos augebit & ille triumphos.
" Rex, (cujus nunc cura Jovi eſt,) in ſemet, & intus,
" Intra animum, caſus omnes , & taedia vitae
" Quo ſoletur, habet, quo triſtes diſſipet horas.
" Si tu belligeris, at ego ſapientibus illum
" (Laudum haec ſumma eſt,) Philoſophis, & Regibus addo.
" Nec video quonam valeat praeſentius uti
" Conſilio, afflictis qua certius arte mederi
" Rebus, quam ſibi ut haec ſolatia praebeat, ipſe
" Quae poſſit præbere ſibi. Non indiget, unde
" Sit felix, niſi ſe ſolo. Mens ſcilicet iſta,
" Fontis inexhauſti, pelagive ſimillima, ſemper

"Suf-

" Sufficiet ſibi, perpetuis ditiſſima venis.
" Saepius interea Regis conclavia viſam
" Ipſa frequens, operamque dabo, ne forte diei,
" Aut noctis carpant aliquam faſtidia partem;
" Ipſaque ſelectîs ornabo Regia librîs
" Pulpita: Nam quantum Rex haec ámet otia, novi;
" Inter adoratas populis felicibus Aulas,
" Quo non eſt, qui ſceptra gerat, ſapientior alter,
" Non cingit diadema caput, quo doctius ullum.

Quanto Divorum hic inceſſit Curia plauſu!
Viſaque fatidicae effata probâſſe Minervae.
At ſimul accendi magis hic certamina vidi
Caelicolûm. Inſignis, mirusque cuilibet ardor,
Et variare modum, & mentem divertere Regis.

 Telîs,

" Telîs, & cornu, & curvo ſpectabilis arcu,
" Laeta ſuos offert arcus; ſua tela Diana,
" Alipedesque canum bigas, & quidquid opacis
" Montibus, aut aluit denſis Auſtraſia[6] ſylvis,
Aut tacitîs quidquid fluidum ſecat aera pennîs;
Et colles, vallesque ſuum jus cedit in omnes,
Omne nemus, lucos faciles, camposque patentes,
Quàque fugax mollem notat ungula, & unguis arenam.

Nympharum ſed enim reliquîs formoſius agmen
Conclamant: ſe poſſe aliquid dare Principe dignum:
Areolasque ſuas certatim, & Dryades hortos

Jacta-

6. Lotharingia.

Jactavêre ſuos, ac arte, atque ordine, quercus,
Proceras platanos, & juſſas creſcere pinos:
Prae-que-tulêre ſuos fontes, luſusque ſuarum
Naiades undarum, quamvìs ſub judice lis ſit.

Res alias, aliae; ſed enim fuit una Dearum,
Principio mihi non ſatis agnita, Circinus illi,
Linea rectifluens, & amuſſis, & aurea trulla
Splendebant. Habitu, quales candente pererrant
Caeruleae, roſeae, flavaeque in marmore venae:
Conjeci mox hiſce notis, hac veſte, quod eſſet
(Glyphen dixerunt Graii) pulcherrima Glyphe:
Ædibus, ac templis Divum, Dea nata ſtruendis.

Illa autem in tabulis, vario depicta colore,
Sollicita dimenſa manu, miſtosque Latinis
Jonios imitata modos, legesque Corinthi,
Fana Deûm, miras, turrita palatia, moles.
Quae paries poſcit, quaeve ornamenta lacunar,
Mirandos portarum arcus, aditusque ſuperbos,
Immenſasque operum facies monſtrabat. At aedes
Collectas, parvasque domos, campeſtria tecta,
Hortenſesque caſas, ornabat gratia quædam
Major. Et in parvo major patet arsque, laborque.

" Haec placuiſſe olim ſemper, ſemperque, docebat,
" Otia munifico haec fore jucundiſſima Regi.
" Iſta ſuis Patrem populis, ſanctumque Parentem
" Iſta docent. Hac arte ſuis aeraria cerdo
"Cum

" Cum Dominis partitur inops. Sic perpete nummi
" Ad vulgus curſu remeant. Opulentia floret
" Urbibus, & ſocors pagîs arcetur egeſtas.
" His regalem animum ſtudiis, rebusque teneri,
" Iſta placent. Haec delectant. His ille vacabit.
" His, ſi quae ſuberunt, curas, & taedia pellet.
" Aſſensere Dii: ſed enim quid? (maxima Juno
Ipſa Jovem propius divinâ admotâ curuli
Alloquitur,) " Quid quaeſo rei eſt? quae cauſa? ſupremam
" Nempe mali tanti vos præteriiſſe medelam?
" Eſt aliud potius, ſummumque, unumque levamen,
" Certa ac una ſalus: eſt Filia,[7] Jupiter, olli,

 "Filia

7. Maria Leſcinia Regina Galliae.

" Filia, quâ nihil haec vidit praeſtantius aetas,
" Quâ nullus meliore Parens gaviſus, & ævo,
" Nullum, hoc, majus Opus, nullum Te dignius, iſtae
" Formavêre manus. Nec fas erat, axe jacentem
" Tellurem ſub utroque, Pater tua dona latere;
" Attoniti ſpectant populi, gentesque remotae
" Primîs ſublimem ſoliîs, ad culmina primi
" Evectam toto orbe, throni. Sic digna videri
" Sic meruit pietas, & ſummus denique ſummae
" Virtuti debetur honos. Poſſitne profundum
" Vulnus, idemque recens vidui miteſcere Regis?
" Quam vultus iſtos, haec ſi velit ora tueri?
" Hanc frontem? hos oculos? quibus eſt nil carius illi?

"Quid

" Quid differt? quid agit? quid propria sponte moratur

" Gaudia? fatales heu deferat ocyus arces,

" Crudelemque locum. Quod non lenimen? & ipsis

" Sentiet in lachrymis, quae non solatia? tantum

" Praesentem aspiciat, qua scit se prole beatum.

" Illi, & *amor populi* meruit qui jure vocari,[8]

" Maximus & belli studiis, & pacis, at una

" Cor, animusque tener, facilis pietate moveri,

" Ac in carorum fortuna, & casibus, ipso

" Euryalo, Pylade, & Druso plus mitis, amicos

" Rex gener amplexus parat. At non Belga,[9] [revulsis

" Oce-

8. Ludovicus XV. Carus.
9. Bellum Gallicum in Germania & in Belgio tum fervebat, Rexque Galliae ipsemet ad Castra profecturus divulgabatur.

" Oceani clauſtrîs, trepidus qui terret, in armis
" Ad ripas Iſalae [10] talem adventare videbit.
" Non talem, Auſtriacus vel clade ferocior ipſa,
" Spectabit, domitos toties dum perget in hoſtes.
" Helluo, non talem, patrii ſitiensque cruoris,
" Qui nunquam propria ſatiat ſe caede Britannus:
" Sed ſocero innata occurret dulcedine comis;
" Lenis & interea meditatas exuet iras.

" Inſuper aſpectus cari auguſtique Nepotis,
" Inſuper aſpectus, cararumque oſcula Neptum!

"For-

10. Fluvius Belgii Batavici in Provincia Tranſiſalana. [*Over-Yſſel.*]

" Fortior haec, quo non, majorque dolore voluptas?

" Praeterea tenero quas non & Regia Princeps ''

Delicias praebebit Avo? quae ſola reperta

" Primo digna Proco, (manibus date lilia plenis!)

" Borboniis ſtirpem aeternam, haeredesque datura,

" Cujus hymen, dum rite faces accendit amoris,

" Extinguit taedas, priſcique incendia belli,

" Et ſtabili ſociat Reges, ac foedere Regna,

" Quam, quisquis ſpectârit, amet, laudetque, colatque.

" Reginae, quae mille modis ſtudioſa, Patrisque

" Devincit ſibi pectus. Amat quam Gallia ſupplex,

" Et miratur; Et eſt juveni dilecta marito,

Con-

II. Regia Poloniae Princeps è Domo Saxonica. Maria Joſepha Conſors, Delphini.

" Conservare & Avo mentis sciet illa serenum,
" Maeroris sciet illa atras dissolvere nubes.
" Jam paucis ego: sit magnus, sit durus, at inter
" Divisus tot corda dolor, vim franget acutam".

Et Superi, & Superum Pater hoc meliore steterunt
Consilio. Regi citius perferre jubetur
Mercurius mandata Deûm pennatus. Iterque
Suadeat. Edoceat, quam illi bene cuncta precentur
Numina, quanta Diis ejus sit cura salutis.
Inde redux: moneat (nondum si carcere clausi)
Æolios fratres mox ut toto aethere cedant;
Flatibus ut placidis soli comitentur, & omnem
Temperiem Zephyri spirent, auramque salubrem;

Phaebe [12] nocturnos paret, ut clarusque diurnos
Phaebus equos. Cessent submotis nubibus imbres.
Haec dum ausculto libens, & agi dum talia cerno,
Insomnis, penitusque mihi vigil esse videbar.
Sed subito rerum facies disparuit omnis.
Quod si somnus erat? (tua sunt haec munera Morpheu!) [13]
Is somnus caelestis erat. Sed denique veri
Somnia semper habent partem: Quid somnia Vatum?

Ast tuus (o! inter Reges, Heroas & inter
Summos, quos unquam geminus spectaverat Orbis,
Accensende, diu variîs exercite fatîs,)
Haud istis, Rex, consiliis mitescet, at ipsa
Religione dolor. Promptus parere supremae

Est

12. Phæbe, Luna; Phæbus, Sol.
13. Morpheus Somni filius.

Eſt animus legi, mens una tibique, Deo-
que.
Numinis imperio facilis, ſine murmure,
fronte
Excipis immota tranquillus, Regibus ae-
què
Communes , aequè miſeris mortalibus
ictus.

F I N I S.